

preſis 2. d. 12. q. 1. §. *est igitur videndum* dum ait aliquid potest esse in potentia dupliciter, uno modo ut terminus, alio modo ut subiectum, quod est in potentia ad terminum, & forte est eadem potentia, sed ut comparata ad diversa dicitur obiectiva, vel subiectiva, itaque subiectum existens dicitur potentia subiectiva, & eadem ut respicit agens dicitur obiectiva, possunt tamen separari, ut increabili, ubi est potentia obiectiva, & non subiectiva, quia ibi non subicitur aliquid, hæc ibi Doctor, quibus peripetue docet potentiam obiectivam interdum cum subiectiva potentia coincidere, (quod de coincidentia materiali intelligit, nam in suis rationibus formalibus nunquam coincidunt, quia ut ait Doctor, semper per comparationem ad diversa dicuntur) interdum ab ea distinctam reperiri, in composito, & generaliter coincidunt, nam potentia hominis generandi, si materiam respiciat, subiectiva appellatur, si autem ad agens, obiectiva nuncupatur, non ergo eam univerialiter a subiectiva re ipsa distinguit, nam in generaliter coincidunt obiectiva, & subiectiva, in creabili autem separantur, unde Angelus, anima, & materia prima, quæ non habet materiam ut partem sui, antequam produceretur dicebatur solùm potentia obiectiva, quia erant tantum terminus potentie productivæ, neque dabatur aliquid, de quo producerentur: primum itaque Zabarel, argumentum probat solum quod inquit Doctor in re generaliter coincidere materiali obiectivam, & subiectivam potentiam, ut bene ostendit exemplum Zabarel, non tamen probat univerialiter coincidere, quia non ita eventum in præ creabili. Alterum quoque argumentum, de potentia activa ostendit identidem potentiam obiectivam, quantum ad id quod reale importat, non esse diversam ab activa, cum non consistat nisi in denominatione extrinseca ab ipsa desumpta, ut supra dictum est. Hic autem notare oportet, quod cum probat Zabarel, cum omnibus Thomis hanc potentiam obiectivam non esse realem, eo quia nequit illi assignari fundamentum reale, cui inhæreat, nam nec homo generandus aliquid est, nec mundus creandus, in quo talis potentia fundari possit, hæc, inquam probatio non urget, quia ut supra dictum est num. 68, & magis infra patebit disp. 8. q. 1. art. 3. num. 46. licet homogenandus vel mundus creandus, non sit ens actuale, quod dici solet ens verbaliter id est existens, est tamen ens possibile, quod dici solet ens nominaliter, unde adhuc sub tali statu potentialitatis tantum realitatis includit, quod distinguitur a puro nihilo, quod nec est, nec esse potest, cum ergo in hoc sensu non sit nihil, sed aliquid, si non actuale, saltem potentiale, etiam in hoc eodem sensu possit obiectiva potentia dici realis, quia est talis potentia, quæ convenire nequit chimæra, ac entis omnino prohibito. Demum in hoc etiam peccat Zabarel, discursus, quod potentiam obiectivam secundum se consideratam confundit cum potentia logica, & hæc quoque dicit esse meram possibilitatem negativam, quorum utrumque falsum esse diximus num. 68.

76. Secundo arguit Capreol. 1. d. 3. q. 3. quod hæc potentia obiectiva sit pura fictio, quia Arist. qui toties dixit omne genus entis dividi per potentiam & actum, nunquam licet mentionem de tali potentia obiectiva nec explicite, nec implicite, etiam in 9. Met. cum profusa actum, & potentiam esse differentias entis in textu primo statim in textu secundo subividi potentiam in activam & passivam, & agit de utraque, ergo præter istas alia potentia non datur. Conf. quæ ad entitativum non datur, ergo nec potentia obiectiva, quæ intantum a Scotis admittitur, ut opponatur ad entitativum.

Resp. locum ab auctoritate negativam nullius esse momenti, & rursus patere ex n. 74. de hac potentia obiectiva Arist. non semel meminisse, quod si eam non agnovisset ut distinctam a potentia subiectiva, mirum esse non debet, quia neque creatio illi nota fuit, ut ponitur in Theologis; deinde fallum est ab initio lib. 9. Met. textu secundo subividi potentiam, de qua fuit facta mentionem in textu primo, ut bene Barg. advertit 1. d. 7. q. un. sed recapitulat ibi quasdam divisiones habitas 5. Met. 17. ut patet ex verbis ipsius text. qui ita loquitur, *quod quidem videtur multipliciter potentia, & posse determinatum, est a nobis in alio.* Ad Conf. negatur assumptum, dari enim debere actum entitativum constabit q. sequendæ esse necessitate talis actus deduci etiam debet necessitas potentie obiectivæ illi actui oppositæ.

77. Tercio arguit Zar. 9. Metaph. q. 2. potentia hæc obiectiva, aut ens tali potentia vel est aliquid productum, & creatum, vel non; non primum, quia omne ens creatum est terminus creationis, & sic in actu existentia, quod omnino rationem huius potentie auget; si secundum, ergo est creator, vel datur aliquid increatum præter Deum. Deinde cum hæc potentia obiectiva ad actum reducitur, vel manet cum actu, vel non manet; si manet, ergo est potentia subiectiva, ex qua res sit, non manet, ergo non est aliquid productum, quia ens ex potentia deductum ad actum, potentiam servat, & actum, quia fuit de eius constitutione. Aliud quoque argumentum adducit, cuius solutio pertinet ad disputationem de essentia, & existentia. Resp. facilius ad primum ens potentia obiectiva, nec esse productum, nec improductum, quia hæc membra dividunt tantum ens actu existens in rerum natura, immo implicat ens in potentia obiectiva dici productum, quia ens in potentia obiectiva significat ens, quod non adhuc productum est, sed bene produci potest. Ad aliud dicendum in productione rei potentiam obiectivam non manere cum actu existentia, quia potentia obiectiva in sua ratione negationem

involvit existentia, & idem adveniente existentia evanescit obiectiva potentia, & concedo gratis non dicere aliquid positivum reale, præsertim ex ea parte, quæ dicitur negationem existentia, sed solum extrinsecam denominationem agentis potentis nec producere.

Quarto arguit Aureol. & Socin. uno ferè labio, omnis potentia dicitur ordinem ad aliquid actum cum carentia illius dispositionis, quam habet res: cum est in actu, ex Comment. 9. Metaph. com. 11. sed creatura antequam creetur, non intelligitur ut carens aliqua dispositione, quam postmodum acquirit, & per consequens non est ibi aliquid ordo fundatus in creatura ad aliquid actum futurum, quia idem non potest intelligi esse in potentia ad se, nec potest intellectus fundare ordinem, vel respectum, quem importat potentia ad actum, super unum, & idem indivisibile respectu sui ipsius; constat autem, quod dum concipitur res creari, totum illud, quod ante intelligebatur non esse intelligitur ut positum in esse, itaque non concipitur aliquid quod sit in potentia, & aliquid in actu, ad quod sit in potentia, ergo manifestum est, quod non potest ibi formalitas potentie apprehendi. Deinde si Cælum antequam esset, habebat rationem potentie obiectivæ, ergo super quod fundabatur, & ad quod terminabatur respectus importatus nomine potentie, aut enim fundabatur super realitatem Cæli conceptam, & terminabatur ad ipsam realitatem Cæli, aut terminabatur ad esse Cæli; non primum, quia idem non est in potentia ad seipsum, ut dictum est neque secundum, quia eodem modo queritur de esse, seu existentia Cæli, antequam esset, utrum esset in potentia obiectiva, vel non, & per te oportet dicere, quod sic, quia omnis entitas, quæ non est, & potest esse, est in potentia obiectiva, & non est dicendum, quod esse sit in potentia ad esse: nec potest dici quod esset in potentia ad aliquid aliud, cum esse sit ultima actualitas non relinquens ulteriorem potentialitatem. Rursus possibile obiectivum dicitur ex hoc, quod est natum esse obiectum alicuius potentie realis, sed non potest esse obiectum, nisi autem potentia activa, aut passiva, ergo nulla est potentia realis præter activam & passivam. Præterea urget Aureol. probans potentiam obiectivam nihil esse non solum realiter, immo nec secundum rationem quia per intellectum componi non potest, quod ita ostendit, idem est didi obiectum potentie activæ, & quoniam illius potentie sed terminus non potest ligari cum potentia, ut dicitur, quod creaturæ sunt in potentia terminativa, nulla enim potentia productiva, sed terminus potentie productivæ, & idem terminus non potest denominare potentiam, ut dicitur potentia terminativa, sicut nec etiam dici potest paternitas filiativa, ergo potentia obiectiva implicat contradictionem. Denique ligans in mente sua propositionem hæc, mundus fuit in potentia obiectiva, aut attribuit mundo aliquam potentiam formaliter in hærentem, aut denominat mundum a Dei potentia activa, cuius fuit obiectum, & potuit esse obiectum, sed constat quod non potest circa mundum concipere aliquam potentiam formaliter inherentem, quia cum totus mundus totaliter sit productus, nihil potest concipi fuisse in potentia ad totum hoc, quod est productum. Nec etiam potest dari secundum se licet quod denominatur a potentia Dei activa, cuius fuit obiectum, quia licet denominari possit creativæ a tali potentia, quia verum est, quod mundus fuit possibile obiectivæ ex illa potentia, non tamen denominari abstrahitive ita, quod illa activa potentia dicitur obiectivæ, ac si mundus capiat in se quandam potentiam obiectivam ex hoc, quod est in potentia Dei activa, alioquin erit aliqua potentia concepta formaliter in hærente ipsi mundo, quod impossibile est concipi, quare concludit Aureol. quod isti duo termini sunt incompatibiles potentie obiectivæ, sicut & isti duo negantur ab ea.

78. Resp. primum argumentum unum supponere fallum, quod scilicet formalitas potentie consistat in hoc, quod potentia denominet tale in ordine ad aliud, ad quod sit in potentia quodque ipsi recipiat per modum actus, & quia in mundo possibile hæc duo apprehendi non possunt, quia ubi totus antea erat producibilis, modo totus est productus, hæc concludunt Adversarii non posse in mundo possibile apprehendi formalitatem potentie: hoc autem suppositum verificatur tantum de potentia subiectiva, non obiectiva, ut constat ex dictis n. 76. & idem licet in mundo possibile neque apprehendi formalitas potentie subiectivæ, ut bene argumentum ostendit non tamen concludit, quia possit in eo concipi formalitas potentie obiectivæ. Et cum dicunt nihil dici posse, in potentia ad seipsum, hoc identidem verificatur de potentia subiectiva, non obiectiva, immo de ratione illius est, quod idem, quod est ratio in potentia, sit omnino idem sub actu, & cum hoc non sit potentia realis, sed potius rationis, non est inconveniens, idem hoc modo esse in potentia ad seipsum, sicut patet ex dictis in Physica quæ causalitas finalis, & idealis non est omnino realis, idem in eo genere idem potest causare seipsum, nisi in intentione causat seipsum in executione, ita ergo patet dicendum in proposita. Commen. tandem loco citato vel loquitur de potentia præcise obiectiva, vel de obiectiva, prout materialiter coincidit cum subiectiva modo explicato num. 75. Ad constat ex dictis potentiam obiectivam fundari in possibilitate logica rei, & uno modo posse referri ad agens, cuius virtute est in potentia potest ad actum trahi, ac alio modo referri posse ad ipsum actum existentem, non quidem tanquam ad actum partialem alicuius nature præcedentis sub aliqua realitate potentiali, sicut materia dicitur præce-

præcedere formam, sed tanquam ad actum totalem totius nature: quæ tota præcise sub statu potentialitatis sine ulla actualitate existentia, quod quidem pacto non invenit idem esse in potentia: seipsum verbi gratia totum Cælum antequam crearetur, sub statu potentialitatis, ad seipsum sub statu actualitatis modo explicato num. 70. quem potentialitatis modum Adversarii capere nequeunt, quia habent in mente fixum solum modum potentialitatis subiectivæ. Ad 3. ex ea ratione potius debet oppositum concludi, cum enim potentia activa non deat respectu impossibilis, ut ait Arist. Metaph. 19. admitti debet possibile obiectivum; quod tale dicatur per possibilitatem obiectivam; quæ partim fit intrinseca rei possibili ratione possibilitatis logicæ, in qua fundatur, partim extrinseca per comparationem ad potentiam activam, unde fundatur denominatio possibilis obiectivæ, & gratis concedimus quod hæc denominationem nihil realitatis dicitur ultra potentiam activam, vel passivam.

79. Ad 4. negatur minor, ad probationem dicitur, quod esse potentia obiectiva non producat proprie loquendo, producit tamen id, quod est in potentia obiectiva, & terminus, vel obiectum possibile potest denominare possibilitatem que; ipsam obiectivam ad denominationis genere, quo interdum subiectiva solent suas denominationes formas, & fundamenta relationis, quemadmodum explicantur esse supra num. 73. & quavis id non contingat in quibusdam relationibus, non tamen id negari debet in omnibus. Ad ult. concipiens illam propositionem, mundus fuit in potentia obiectiva, potest tribuere mundo possibile potentiam obiectivam utroque; illo modo insinuat in argumento, nam potest primò illi tribuere talem potentiam obiectivam per modum extrinsecæ denominationis, hoc enim univerialiter contingit in quocumque effectu ad suam causam comparato, ex hoc enim quod causa dicitur potens suum effectum producere, statim in effectu resultat denominatio quadam extrinseca producibilis a tali causa; & cum ait Aureol. bene denominari posse concretivè a potentia activa, non autem abstrahitive, ita quod illa potentia obiectiva, dico illam potentiam activam in se, & formaliter consideratam, ut se tenet ex parte agentis, utque talem non posse subire denominationem, bene tamen, & terminative consideratur, & ut se tenet ex parte effectus, & præsertim in ita appellatur, cum illa denominatione extrinseca possibilis concipitur in mundo creando per modum eiusdem relationis, & potentie passivæ correspondentis realis, & per modum formæ realis, cum mundus adhuc supponatur non existens, sed inherens intentionali, & facta per rationem, quæ de causa fatetur potentiam obiectivam non posse absolute, & simpliciter dici potentiam realem.

Quinto obicitur probando, potentiam obiectivam, nullatenus a logica fecerendam, nam eadem ratione formali constituntur, ergo neque per rationem distinguuntur, probatur assumptum, quia per non repugnantiam ad esse, & existere utraque potentia constituitur; ut patet ex rationibus utriusque, illud enim dicitur esse in potentia obiectiva, quod non est, nec existit, potest tamen esse, & existere, hoc autem idem competit potentie logicæ ex sua ratione formali. Confirmatur, illi respectus sunt omnino idem, quorum idem est fundamentum, & terminus, sed potentie obiectivæ, & potentie logicæ idem est fundamentum, & terminus, ergo sunt omnino idem, minor probatur, quia fundamentum potentie obiectivæ est ens secundum quid, & in esse cognite, & possibile, terminus autem est ens simpliciter, & in esse existentie, at hoc idem est fundamentum, nec terminatur ad impossibile, ergo & C. Demum potentie specificantur per actus, ad quos ordinantur ut istæ ordinantur ad eundem actum scilicet existentie, ergo sunt eadem prorsus potentia.

80. Resp. negando assumptum cum probatione, quia potentia obiectiva constituitur per respectum ad potentiam activam agentis, non autem logicæ, quæ potius a tali respectu præcendit, ac idem dici solet possibilitas absoluta, quia consistit in sola non repugnantia rei præcudendo ab eo, quod illa res fit ab alio producibilis, vel a se ipsa exiit, unde & Deus ipse dicitur possibilis logicæ, non autem obiectivæ, ut ait Doctor 1. d. 7. q. un. L. quapropter inquit, possibilitatem logicam posse consistere, licet per impossibile nulla potentia eam recipere, quod & repetit inferius 1. d. 36. lit. M. & q. Met. q. 2. item potentia obiectiva involvit negationem existentie in suo conceptu, & hæc erit una conditio ad eius constitutionem superius requisita, & idem destruitur in adventu existentie, & actualitatis, at potentia logica talem negationem non involvit, nec in adventu existentie destruitur, sed quantum est de se tam ab existentia præcendit, quam ab eius hæc potentias diversas habere rationes formales constitutivas. Ad Conf. negatur minor cum probatione, quia cum respectus per potentiam logicam importatus veritatem inter extrema propositionis, quæ iudicat intellectus invenire non repugnare, & respectus per potentiam obiectivam importatus fundatur super ipsam potentiam logicam, ut constat ex dictis, ac fuscus dicens infra disp. 8. q. 1. art. 3. an. 30. Ad ult. licet potentia obiectiva ordinetur ad actum existentiam, cum hoc etiam ordinatur ad agens; a quo talem actum suscipere potest, quod non convenit potentie logicæ, quæ a tali agente omnino præcendit, & quavis amba: istæ potentie ad eandem ordinantur actum, diversò tamen id prorsus

modo contingit, quia potentia obiectiva ordinatur ad actum existentiam cum dependentia a potentia activa, potentia autem logica ad eundem ordinatur actum sine tali dependentia; rursus obiectiva ita ordinatur ad actum, ut cum eo sit incompatibilis, ac in eius adventu destruitur, logica vero ita ordinatur ad actum existentiam, ut cum ea sit compossibilis, unde ab actu ad potentiam logicam tenet consequentia affirmativè, si res existit, ergo non est exiliter repugnans, non tamen consequentia tenet ad potentiam obiectivam; sed hæc res amplius declarabitur infra disp. 8. q. 1. art. 3.

Demum arguitur, quod potentia obiectiva secundum Scotum sit realis, nam 9. Metaph. q. 2. ait hæc relationem videri realem, quia fundatur in essentia possibili, quæ est realis, quatenus esse sibi non repugnat, ut chimæra, licet non exiit. Resp. Scotum ibi num. 6. & 7. satis se explicare, quod sit relatio in ordine ad actum, per quem explicatur potentia obiectiva, confidetur ex parte fundamenti, potest aliquo pacto dici realis, quatenus fundatur in essentia possibili, quæ non est omnino nihil ut chimæra; si vero consideretur ex parte termini, quæ ordinatur ad esse, ut ad terminum, a quo essentia realiter non distinguitur, non potest esse nisi relatio rationis, quia non est inter distincta realiter, nec inter extrema realia actu existentia.

QUÆSTIO III.

De actu primo, & secundo, formali, ac entitativo.

81. Circa primam divisionem actus in primum, & secundum non est contentio, sicut omnes admittunt potentiam activam, & passivam, ita etiam unanimiter admittunt duplicem actum illius potentie correspondentes, scilicet actum primum, & actum secundum; potentie passivæ responderet actus primus, qui est forma; & potentie activæ responderet actus secundus, qui est operatio. Est tamen adhuc aliqua difficultas circa explicationem actus primi, & secundi, quamvis enim Philosophi omnes passim per actum primum formam intelligant, & per actum secundum operationem formæ, adeo actus secundus sit necessarius accidens, nihilominus Mercenarius in suis dilucid. vol. 1. pag. apud me 193. & rursus vol. 2. pag. 157. contra omnes exiret actum primum esse formam non operantem, pro qua opinione citat Averr. eamque probat ex verbis ipsius Arist. in illo eodem loco, ubi hæc divisionem tradidit actus in primum, & secundum scilicet lib. 2. de Anim. ab initio, nam inibi tex. 2. divisit substantiam in materiam, formam, & compositum, formam autem, quam actum appellat, mox subdividit in actum primum, & secundum, ex quo sic arguit; Actus illo dividitur in primum, & secundum, qui unum cum materia, & composito substantiam dividit, at talis est substantiam, ergo actus substantialis dividitur in primum, & secundum, & sic actus secundus substantia erit, non accidens. Deinde text. 5. probat animam non esse corpus, quia corpus non est in subiecto, inde colligit animam esse substantiam, & quidem substantiam, quæ est actus, hic autem duplex est primus, & secundus, ergo actus secundus est substantia, & ita non erit pura operatio. Rursus si per actum secundum intelligeret accidens, & puram operationem sequitur frustra assignasse tertiam divisionem, quæ est actus in primum, & secundum, nam secunda divisio, quæ est substantia in materia, formam, & compositum luceret, cum ex ipsa sufficienter colligatur animam esse formam substantialem, & consequenter actum primum. Domum ex hoc loqueretur, definitionem animæ redundantem esse, quia faceret hinc substantia est, iam verò cum Aristot. accepserit in definitione primum animam substantiam esse, supervacaneum fuisse statueret posse esse actum primum, hoc est substantiam, in dubium revocare, an sit actus primus, vel secundus, hoc est substantia, vel operatio, quoniam enim nunquam fuit, qui dixerit substantiam esse, ita ut fuerit Arist. ostendere animam operationem non esse, sed substantiam.

82. Sed jam in expositione textus lib. 2. de Anim. ab initio hæc Mercenarii opinionem improbamus, & cum communi determinavimus per actum primum intelligi formam; & per secundum solum operationem, & ita insinavit Doctor 1. d. 3. q. 7. lit. Q. immò ita expresse Arist. in illo eodem textu, ubi hæc tradidit divisionem, nam exemplificare volens de actu primo, & secundo, adducit exemplum de scientia, & speculari, sed speculatio est pura operatio, ergo per actum secundum solum intelligit operationem. Tum quia 3. Phyl. vocat Arist. motum actum motoris, sed certum est motum non esse actum motoris primum, sed secundum, ac patet esse solum eius operationem, ergo, & C. Tum quia anima nutrienis semper operatur, quamdiu enim vivimus, tandù nutrimur, ait Aristot. ergo animæ nutrienis non convenit definitio animæ, nam actus in definitione animæ stat pro actu primo. Neque motiva ad oppositum sufficientia sunt, ut pro eis deferatur communis omnium consensus de actu primo, quod sit forma, & de actu secundo, quod sit eius operatio. Ad 1. namque jam in expositione textus dictum est falsum esse in tertia divisione dividere actum, quem assignaverat in secunda divisione, sed bene occa-

ne illius dividit actum in commune ad primum, & secundum, qui est genus formae, ut influeret formam, quam dixit esse actum, qui est actum secundum, sed primum. Ad 2. patet per idem. Ad 3. negatur consequentia, fuit enim necessaria tertia divisio duabus de causis, primo quia cum anima sit substantia, debuit excludi ab actu secundo, qui est operatio; deinde fuit necessaria, non ut excludat formam operantem, ut ait Mercenarius, sed ut manifestaret contra Xenocratem animam non esse motum, & operationem, sed actum secundum, ut ipse dicebat. Ad ult. patet per idem animae definitioem non esse redundantem, neque sensum facti animam esse substantiam, quae est actus primus, id est, qui substantia est, sed quae forma est, quia forma est actus primus.

Circa alteram divisionem actus in formalem, ac entitativum maior sane est difficultas, siquidem Thomistae sicut potentiam obiectivam admittere nolunt, ita neque ad actum entitativum admittendum, qui est actus illi potentiae correspondens, ullo pacto adduci queunt, & praecipue inter Recentiores Philosophos in hunc actum entitativum, velut in intensissimum holtem, vehementer exarist Zabarell, loc. allegat. lib. 2. de materia cap. 2. Scotistae contra, quemadmodum in praecedenti quaestione duplicem assignant potentiam subjectivam nempe, & obiectivam, ita pariter in praesenti duplicem assignant actum geminam illi potentiae correspondentem, unum formalem, qui potentiae subjectivae correspondet, alterum entitativum, qui correspondet obiectivae, per actum formalem intelligentem ipsam formam sive substantialem, sive accidentalem, ideoque illud dicitur esse in actu formali, quod ipsam formam habet, unde materia omni forma donata non dicitur in actu formali; per actum vero entitativum nil aliud intelligunt, nisi ipsam rei existentiam, ut dictum est disp. 2. Phyl. num. 17. tractando de actu entitativo materiae, unde illud dicitur esse in actu entitativo, quod ipsa existit in rerum natura.

83 Dicendum itaque cum Scoto, & Scotistis praeter actum formalem subjectivae potentiae correspondentem, entitativum quoque assignari debere ab ipso distinctum, qui potentiae correspondeat obiectivae. Ita Doctor 2. d. 12. qu. 1. quem sequuntur nedum omnes, & singuli eius discipuli, sed Recentiores omnes praesertim Societatis Auctores in tam copioso numero, ut singulos nominatim referre pigeat, & quavis omnia ad hanc rem pertinentia sufficienter tractata sint d. 2. Phyl. q. 2. artic. 2. dum de actu entitativo materiae ageretur, nihilominus hic aliqua addere, & nonnulla quoque ex loco allegato repetere juxta illa stabilendum magis in schola nostra hunc actum entitativum adeo famigeratum. Probatur primo omnibus Arist. auctoritatibus num. 74. allegatis, sicut enim ibi praeter potentiam activam, & passivam concedit quoque obiectivam, ita pariter praeter actum primum, & secundum, & ultra actum formalem concedit entitativum potentiae obiectivae correspondentem, & ita expresse loquitur 9. Metaph. text. 11. dicens, *est autem actus existere rem non ita sicut diximus potentia*, ubi conspicue existentiam rei actum appellat, cum ergo per actum entitativum nil aliud a Scoto, & Scotistis intelligatur, quam ipsamet rei existentiam, ita fatuum est negare dari in rerum natura actum entitativum, ac si negaretur dari in natura, & in universo rerum existentiam. Respondent Thomistae concedendo in hoc sensu dari actum entitativum, licet vocabulum eius distiplicet, sed negant talem actum entitativum a formali distingui, dicunt enim omnem existentiam esse a forma. Sed contra, nam actus entitativus convenit etiam rebus, quae non sunt aliorum formarum, nam quod actu est, sive productum per actionem naturalem, sive per creationem, ut est terminus ad quem actiois, dicitur habere entitativum actum, sive sit inproductum, ut Deus, dicitur esse in actu entitativo. Tum quia principium illud Thomistarum, quod omnis existentia sit a forma satis improbatum est disp. 2. Phyl. q. 2. artic. 1. & adhuc magis a priori impugnetur infra disp. 8. quae 1. art. 2. nu. 100. ubi ostenditur implicare, quod aliquid existat, & constituitur aut aliis extra causas, quod est esse actu existens, intrinsece, & formaliter per aliquid a seipso realiter diversum. Dices hoc ipso probaturum formalem ab actu entitativo non distingui, quia forma quoque cum sit ens actuale in rerum natura, propriam habebit existentiam. Negatur sequela, id enim solum probatur formam physicam a proprio actu entitativo realiter non distingui, quod univeraliter verum est de quocumque alio ente reali, nullum enim ens realiter a propria existentia fecerunt; verum tamen est, etiam in ipsa forma physica rationes actus formalis, & entitativi, licet materialiter coincidunt, adhuc manere formaliter impermixtas, & per ordinem ad diversa consistunt, dicitur enim forma actus formalis respectu potentiae subjectivae materiae, entitativus autem respectu potentiae obiectivae, sub qua esse dicitur, antequam produceretur ab agente.

84 Conf. haec tota impugnetur, quia materia seclusa forma habet hunc actum entitativum, de quo hic est sermo, ut fuisse probatum est ex professo disp. 2. Phyl. cit. qu. 1. artic. 2. ex Doctore in 2. d. 12. qu. 1. §. dico igitur, ubi praesertim id probat ex numeribus materiae, quia materia est per se unum principium naturae ex 1. Phyl. est per se causa, ex 2. Phyl. & 5. Met. est pars aliquid compositi 7. Metaphys. est fundamentum formarum 1. Metaph. est per se subjectum mutationum substantiarum 3. Phyl. est denique terminus creationis, ergo non est

aliquid in pura potentia obiectiva, sed in actu entitativo, etiam ut contradistinguitur a forma, & sic datur actus entitativus ab actu formali distinctus. Respondet ad hoc argumentum Aureolo 2. d. 12. qu. 1. artic. 2. quod peccat per fallaciam a secundum quid ad simpliciter, non enim valet, materia est actus; pars compositi, actu subiectivi, & informatur, ergo est ens in actu; ad cuius evidentiam notat, quod actus quandoque accipitur ut determinatio verbi, & compositio, quandoque accipitur, ut extremum ipsius compositiois, sive ut determinat extremum compositiois, actus primo modo est actus secundum quid, secundo modo est actus simpliciter, & ideo non sequitur hinc fallacia argumentum ab actu primo ad secundum; exemplum, chimera est actu nihil, ergo est actu, non sequitur; similiter, rosa est actu intellecta, ergo est actu, non sequitur; ita est in proposito, quia actu in illis propositionibus accipitur, ut determinat compositioem, non autem extremum compositiois.

At contra hanc solutionem in primis est, quod Scotus non conficit argumentum, ut adducit ab Aureolo, nec Scotus vim facit in illa particula ad, sed directe ex numeribus, quae materia exercet, arguit ipsam habere propriam existentiam, seu actum entitativum, quia nec mutatio fit; nisi in subiecto existente in rerum natura, & sub utroque termino manente, nec forma in subiecto recipitur, & sustentatur, nisi prius natura existente; nec compositum constituitur, nisi ex partibus prius natura existentibus, ut deducebamus disp. 2. Phyl. qu. 2. art. 1. Deinde, quia quando etiam argumentum ita conficeretur a Scoto, ut asserit ab Aureolo; adhuc non bene solvitur, nam quando additur praedicatum aliquid distrahens, vel diminuens, tunc bene verum est non licere ita arguere, sed fallaciam committi in secundum quid ad simpliciter, ut constat in exemplo de Chimera ab eo alio, non valet consequentia, quia nihil distrahit subiectum, similiter quando dicitur, rosa est actu intellecta esse intellectum est conditio diminuta; at in argumento nostro etiam ut ab Aureolo conficitur, nullum horum contingit, cum enim dicitur, materia actu subiectivi mutationi, actu informati, & actu est pars, nullum istorum diminuit, vel distrahit subiectum; & ideo optime tenet consequentia, quod sit actu.

85 Sed Aureolus hanc adeo promptam praevideat instantiam respondet rursus ex hoc potius suum confirmari propositum, nam de ratione partis actu est, quod non existat actu proprio distincto, sed actu totius tantummodo, si enim haberet actum proprium distinctum, iam esset per se, & non esset pars. Contra, licet de ratione partis non sit adualitas substantiae, & totalitatis, quia tunc per se solitarie existeret; & non in alio, est tamen adualitatis existentiae, quia totum est divisible in ea, quoque influit, ex 5. Metaph. 18. ergo partes debent actu in toto existere, ut illud constituant; immo debent etiam existere aliquo pacto actu proprio distincto, quia de ratione unius partis est, quod sit distincta ab alia comparte, alioquin compositum non constitueret, quod coalescere dicitur ex pluribus rebus diversis in unum unitis. Tum quia si esse actu partem tollerit actualitatem existentiam materiae primae, adhuc tamen alia exercet munera physica, quae talem existentiam omnino depolcent, ut esse actu subiectum formarum, & mutationis, quod enim tale minus actu exercet, utique actu existere debet, ergo casu Aureoli nulla est.

Deinde non video, quia ratione sufficienti possit Aureolus induci ad negandum materiae proprium actum entitativum, tum quia cum in eius principii essentia nullo pacto ex natura rei distinguitur ab existentia, ipse tribuit materiae propriam essentiam, & existentiam, ergo tenetur etiam ei tribuere proprium actum entitativum, praesertim quia hic, & alibi in Physica saepe potestati tumus per actum entitativum aliquid apud Scotum non intelligi; quam actualitatem rei existentiam, postquam egressa est a potentia obiectiva sua, & activa agentis. Tum quia loc. cit. 2. d. 12. qu. 1. art. 1. respondendo ad quaesitum, ne sit contentio de nomine, ait opus esse videre quid debeat in proposito intelligi per actum, si nemper ad actum intelligis (inquit) rationem positivam, ut distinguitur contra negationes, & contra nihil, sic non est difficultas materiam propriam habere actum, nam materia non est negatio, sed est ratio positiva; si rursus intelligas per actualitatem illam entitatem, ut distinguitur contra nihil, sic etiam dici potest materiam habere propriam actualitatem, sed sic est, quod Scotus 2. dist. 12. qu. 1. in hoc sensu dumtaxat intelligit materiam habere proprium actum entitativum, ut patet in tota illa quaestione, & praesertim in fine dum inquit, *ad aliud de actu, dico, quod si accipis actum pro actu informante, materia non est actu, si autem accipis actum pro omni eo, quod est extra causam suam sic materia potest esse actu, vel actu, sed secundum commune modum loquendi esse actu attribuitur, & appropriatur forma, clarè ergo, & perspicue se declarat Doctor, in quo sensu asserat materiam dici posse in actu, & ingenuè fateatur non absoluit, & simpliciter dicens esse in actu, quia secundum commune loquendi modum esse actu attribuitur, & appropriatur formae.*

86 At inquit Aureolo, cit. quod licet eo modo loquendo actum entitativum, & actus convertantur, atque id sit contradictio, quod materia habeat entitatem distinctam a forma, & tamen quod non sit actu, capiendū tamen actum pro terminatione, & essentiali distinctione, sumendo distinctionem, sicut Philosophus 7. Metaph.

tex.

rex. 9. quando dicit, quod actus separatus, & distinguitur, & hoc modo (inquit) non est idem actus, & entitas extra nihil, nec conyertuntur ad invicem, hoc enim modo omnes partes in continuo sunt entitas quaedam, & extra nihil, & tamen non sunt actu proprio, sed omnes sunt in potentia, & omnes habent esse unico actu ipsius totius, una enim non est ab alia divisa, & separata; sic, inquit, capiendū actum asserit materiam propriam non habere actum. Planè ex hoc dicitur Aureolo, constare ipsam cum Scoto non contendere; nisi de nomine, quia circa entitatem materiae concedit Scoto quicquid valet, solum negat posse dici simpliciter, & absolute habere actum, quia actus separatus, & distinguitur 7. Metaph. & materia in se est quid indeterminate, & indistinctum, & quidem Scotus ipse citat, hostis infensio quod nomina de nomine ultro concedit materiam non debere dici absolute, & simpliciter esse in actu, quia secundum commune loquendi modum esse actu attribuitur, & appropriatur formae. Caterum quavis hoc totum fit verum, adhuc tamen potest Aureolo, negantem materiae omnem prorsus distinctionem, & determinationem, est cum grano salis intelligenda, omnino enim implicare videtur aliquid esse ens positum extra causas in rerum natura productum, & non habere propriam entitatem, & unitatem in se, quod sit in se indistinctum, & quoque cum alio distinctum, si ergo materia est aliquid entitativum, & Deo productum in rerum natura, consequenter propriam habebit unitatem, quae est passioem, quia dicitur in se indistincta, & distincta a quocumque alio. Tum quia materia in composito est utriusque alia entitas a forma, alioquin compositum non esset ex diversis partibus compaetum, ergo aliquid in se habet distinctionem, & determinationem. Tum quia etiam partes in continuo ita se habent, quavis enim una non sit divisa, & separata ab alia, adhuc tamen singulae propriam habent existentiam in continuo, & una fecerunt alio, & intantum dicuntur esse ibi in potentia, inquantum potentia excludit actualitatem, non quidem existentiam, & distinctionis, sed substantiae, divisionis, & praecisionis, quam partes non habent, nisi cum sunt divisa, & innuit Arist. 5. Metaph. 18. & nos late tradidimus disp. 9. Phyl. q. 2. art. 3. & 6. ubi ostendimus, partes dari actu in continuo ab invicem distinctas.

87 Cum ergo inquit Arist. 7. Metaph. in fundamento naturae nihil esse distinctum, vult tantum significare res materiales per materiam non distingui, sed per formam, non autem negare vult, quod materia per se ipsam entitatem non distinguitur a forma, & a quocumque alio, quod non est ipsa, dicit enim essentiam materiam esse indistinctam, & indeterminatam, quia intra seriem rerum naturalium generalium, & corruptibilium, materia non est aliquid determinatum, & completa species in hoc vel illo praedicamento, sed est inchoatio cuiuscumque naturae, & species in tali coordinatione, sicut animal intra genus animalium non est aliquid determinatum animal, sed fundamentum, & inchoatio cuiuscumque naturae in tali genere, quare dicitur etiam solet materia genus physicum, ita namque, explicari debet natura materiae in rebus physicis, licet explicari solet natura generis in rebus metaphysicis; quavis autem animal sit indeterminatum homo, alius, equus, & sic de singulis, tamen quod primum omnino conceptum dicit aliquam rationem determinatam scilicet sensibilitatem, quae tamen omnino indeterminata est intra genus animalium, & ideo determinationem expectat, quae fit per differentias; sic igitur in proposito licet materia intra genus rerum materialium sit indeterminata lapsus, lignum, ignis, & sic de aliis speciebus completis in praedicamento, adhuc tamen in se est aliqua certa, & determinata entitas, licet substantialem incompleta, ac imperfecta. Deinde sicut genus logicum, vel metaphysicum non distinguit res sub eodem genere, nam potius in eo conveniunt, licet tamen res sub diverso genere constituit, ita pariter materia licet non distinguat res materiales ab invicem, quia omnes in materia conveniunt, adhuc tamen distinguit eas a rebus immaterialibus, sicut ergo est simpliciter, & absolute loquendo materia in se omni proferat eadem distinctionem, & determinationem, hoc enim solum intelligi debet loquendo intra genus rerum naturalium, & materialium, quatenus non est aliqua determinata species, & completa illius generis, sed potius est fundamentum, & inchoatio omnium, atque ita discrete se explicuit Arist. ipse 7. Metaph. 9. cum dicit in fundamento naturae nihil esse distinctum, quia sic licet inquit, materia non est quid, nec quale, nec quantum, nec quidquam eorum, quibus ens est determinatum; quae omnia sunt explicata sunt disp. 2. Phyl. q. 1. & 2. & ideo circa hoc non est amplius in morandum.

88 Secundo principaliter probatur conclusio, quod datur actus entitativus, nam triplex assignatur genus potentiae, activa, passiva, & obiectiva, & hanc enim quoque concedit Complut. cit. r. Phyl. disp. 3. q. 2. ergo triplex quoque debet assignari actus suae potentiae correspondens, ut proprium eius secundum suam respondens potentiae activae, & dicitur actus secundus, seu operatio, alter correspondens potentiae passivae, vel subjectivae, & dicitur actus formalis, & denique alter correspondens potentiae obiectivae, quem nos vocamus entitativum; probatur consequentia, quia huius potentiae correspondere nequeunt nec actus secundus, nec formalis, nam illi actus supponunt in suis potentis existentiam, at actus entitativus non supponit existentiam in sua potentia, ergo hic actus poni debet ab aliis actu generibus condistinctum, Respondent Complut. non semper po-

teriam obiectivam per actum experiri, sed aliquando per actum, aliquando vero per realem potentiam si res illa, quae possibilis dicitur, fuerit ens, quod fit realis potentia, ut est de materia prima. Contra, nam a repositi productionem excluditur potentia obiectiva, cum non sit amplius intra causas suas, sed extra, ac potentia non excluditur nisi per advenientem actum; ergo quod advenit per productionem est actus, qui dicitur entitativus. Tum quia quilibet res etiam si sit composita ex materia, & forma, antequam existat, non dicitur esse in actu, sed esse in potentia, ac post productionem, & existentiam dicitur esse in actu, unde Philosophus 8. Phyl. 32. ignem nondum genitum vocat in potentia, genitum vero ait esse in actu, ergo habet aliquem actum, quem prius non habebat, cum non possit intelligi aliquid esse in actu sine aliquo actu, sed hic non est actus secundus, ut patet, quia nulla intelligitur in ea re operatio procedens ab ipsa, neque est actus formalis, quia dum intelligitur compositum in esse possibile, in eo intelligitur actus formalis, ergo est aliud genus actus, quod dicitur entitativum. Tum quia hoc ipsum quoque fatendum est de materia prima, quavis enim sit, & dici debeat ens in potentia, quia ut inquit Doctor esse in actu secundum commune loquendi modum attribuitur, & appropriatur formae, vel habenti formam, tamen certum est, alio modo dici ens in potentia, antequam a Deo produceretur, & tunc post eius creationem, tunc enim dicitur tamen ens in potentia, quia nullam habebat existentiam in rerum natura, & solum erat in causis suis, modo autem dicitur ens in potentia dumtaxat subjectiva, quatenus est in potentia ad recipiendas formas, ac dicit potest in actu, quatenus non est amplius in potentia obiectiva. Tum tandem, quia quando etiam concederemus potentiam obiectivam non semper per actum experiri, sed interdum per realem quoque potentiam, ut ipsi asserunt de materia ad excludendum ab ea omnem prorsus actum, at tamen in proposito ad probationem conclusionis nostrae, nobis sufficit, potentiam obiectivam interdum quoque per actum experiri, ut ipsi concedunt, nam hic est actus entitativus, de quo loquimur; neque enim in proposito probare intendimus hunc actum convenire materiae, sed solum quod datur in rerum natura actus entitativus, sive materiae conveniat, sive non; vide disp. 2. Phyl. cit. num. 2. ubi eandem doctrinam Complut. impugnavimus.

89 Tertio tandem probatur conclusio declarando quid per hunc actum entitativum intelligamus ad tollendum omnem equivocacionem, quae hic contingere posset, & licet saepius dictum sit nos per actum rei entitativum intelligere eundem existentiam in rerum natura, adhuc tamen ad proterivam quorundam convincendam adhuc placet eam declarare, sicuti declarat Gregorius Arim. 2. d. 12. quaest. 4. artic. 2. ubi distinguit actum formalem, & actum entis, seu entitativum, & hunc ait esse id, per quod quodlibet ens est a parte rei extra causas, sive ut de re possit per propositionem de praesenti, & de inesse verificari esse absolute dicendo *hoc est*, id est hoc existit; contra vero ens in potentia dicitur de quo non verificatur esse hoc modo, sed per propositionem de possibili dicendo, *hoc potest esse*, quae etiam fuit doctrina Licentii 1. Phyl. ubi inquit aliquid esse in actu, duobus modis intelligi posse, uno modo quia praesentialiter existit, altero modo quia est ens completum in specie, quemadmodum aliquid dicitur esse in potentia dupliciter, aut quia non praesentialiter existit, potest tamen existere, sicut dies crastina, aut quia non est actu completum, & perfectum in specie, potest tamen compleri, & perfecti, sicut subiectum quodcumque sive formae substantialis, sive accidentalis; Ex qua doctrina Recentiores postea delumpserunt distinctionem, quod duplex est actus, quidam est actus formalis, & specificus qui est effectus ipsius formae in compositis, & differentis in simplicibus, ut in Angelis quidam est actus praesentialis existentiae, & vocatur actus transscendens, atque entitativus, quia est motus intrinsecus consequens entitatem cuiuslibet rei, & extra causas positam, quam distinctioem entitatem cuiuslibet rei; Magistri 1. Phyl. q. 11. Patet ergo ex hac declaratione actum entitativum negari non posse, & perinde esse negare actum entitativum, ac si negaretur praesentialis existentia rerum, unde potius non posse hic esse controversiam, nisi de solo nomine, an talis existentia dici debeat actus, quam Arist. ipse satis perspicue resolvit 9. Metaph. text. 11. dum ait *autem actus rem existere*, ergo tam certum est dari actum entitativum, quam certum est dari rerum existentiam in universo.

90 In oppositum primo arguit Zabarell lib. 1. de materia cap. 2. magnifico verborum apparatu probans hunc actum entitativum nihil aliud esse, quam purum Scoti figmentum, scilicitarum enim a Scoto, an actus iste entitativus sit aliquid, vel nihil; si nihil, ergo non datur; si aliquid, ne ipsum cum actu formali confundamus, videndum est rursus quid ipse sit, erigitur, vel substantia, vel accidens, quia omne, quod est, vel substantia, vel accidens est; accidens, quidem esse non potest, quia secundum Scotum materia habet talem actum sibi consubstantialem, argue ideo nequit esse accidens, sed erit substantia; jam vero substantia ex 2. de Anim. & 7. Metaph. in materia, formam, & compositum dividitur, argue ideo actus entitativus alterum horum, si substantia est, esse debet, si forma quidem esse non potest, quia ponitur ab actu formali distinctum, sed neque compositum, quia tunc materia, cum habeat actum entitativum, haberet compositionem ex materia, & forma; si ergo est materia, sequitur, vel materiam primam ex alia materia constare, quae

quæ sit actus entitativus, vel si est ipsa entitas materię primę, sicutum est illam appellare actum, cum omnes Philosophi potentię nomen, non actus illi describerint.

Resp. duobus verbis hoc argumentum, quod ad hoc Zabarel magnificat, contra actum entitativum fuisse solutum disp. 2. Phyl. num. 17. quam solutionem liberius amplius declarare, licet declaratio non indigeat; vel igitur hoc argumentum fit præcise contra actum entitativum materię, vel contra actum entitativum, ut sic, in quo sensu de ipso hic loquimur: si primum, iam ibi bene respiciuntur actum entitativum materię non esse accidens, sed substantiam, & non quæcumque substantiam, sed substantiam materię, cui realiter identificatur, vel modus ejus intrinsecus, nec propterea dicitur materia materię, ut inest Zabarel, sed aliquid ipsius materię id est modus intrinsecus materię. Si autem fermo sit de actu entitativo in universum, quo sensu competit omnimoti reali extra causas posito, tuac dicendum actum entitativum, ut sic non esse substantiam, nec accidens, sed ab utroque præcise, sicut & ipsum ens præcise, cujus est modus, & in substantia esse substantiam, & in accidente accidens, non quidem formaliter, sed identice, & realiter, quatenus est modus substantię, vel accidentis, vide quam paucis verbis tantum agunt ingeniosa machina laborat.

91. Secundum obicitur Thomaz, omnis actus dividit, & distinguitur ex 7. Met. 19. sed id non competit actui entitativo, ergo est habitus, propter minor, quia si actus entitativus distingueret, tunc etiam materia ipsa distinctionem aliquam in se haberet, quod contra Arist. 7. Metaph. 9. ubi ait in fundamento naturę nihil esse distinctum. Resp. majorem intelligi de actu formalis, & specifico, ac pariter de distinctione specifica, & completa, quæ utique ad actum entitativum non competit, licet tamen actus entitativus hoc pacto non dividat, & distinguat, potest tamen, & ipse suo modo distinguitur unam rem ab alia, actus enim entitativus materię ipsam distinguit ab entitate formę, & ita etiam omnia actus entitativus cujuscumque rei five simplicis, five compositę: materia enim licet nequeat esse ratio distinguendi intra coordinationem rerum naturalium, & materialium, quia est communis omnium inchoatio, ac fundamentum, nihilominus distinguere potest res materiales ab immaterialibus: quo autem pacto intelligendum sit Arist. dictum, quod in fundamento naturę nihil est distinctum, explicatum est supra, n. 87.

92. Tertio fit actus iste entitativus, præsertim admitti debet, ut respondeat potentię objectivę, & talis potentia per ipsum exprimitur, sed potentia objectiva non datur, vel si datur, exprimit potest, sed per productionem entis, quod fit actus, vel actum habens, sed etiam quod sit pura potentia realis, ut contingit de materia primâ, ergo actus iste entitativus est superfluus, propter minor, quia Arist. 9. Metaph. tex. 1. & alibi dividit ens reale extra causas positum in actum, & potentiam, ergo per hoc præcise, quod aliquid sit pura potentia realis, etiam si omnem prout actum excludat, poterit rationem entis realis habere, & potentiam objectivam in sui productione explorare.

Resp. negando minorem quoad utramque partem, quoad primam quidem, quia quælibet præcedit, ostensum est dari potentiam objectivam, ac etiam aliquo modo distinctam a potentia activa, & passiva, nequeat etiam quoad alteram partem, nam quocumque sit tunc de illa divisione entis in actum, & potentiam, de qua dicitur infra disp. 187. licet potentia objectiva possit materialiter explorari per productionem entitativam, quæ sit potentia respectiva alterius, tamen ut dictum est disp. cit. Phyl. contra. Complut. illa ipsa potentialis entitas, quam ipsi dicunt esse materiam, ad potentiam objectivam relatam, sub qua erat ante sui productionem, dici potest actus, vel ens in actu, quatenus non amplius est solum in potentia causa, sed actus extrahitiam; tum quia ut dictum est nam. 88. quando etiam concederemus in productione materię potentiam ejus objectivam, sub qua erat ante productionem, non expleri per actum aliquid, sed per puram potentiam, veram tamen, & realem in rerum natura productam, qualem dicunt Complut. esse materiam primam, ad huc non collitur actus entitativus, qui poterit correspondere productionibus aliarum rerum, earumque potentiam objectivam explorare, ut v. g. productioni compositi, vel formę, & sic concedendo etiam mixtam quoad secundam partem, totum concluderetur non dari actum entitativum materię proprium, sed compositum, & formę, & aliis rebus compositione contentibus, quales sunt intelligentię, separate, unde etiam materia carere actum entitativum; non idcirco concludendum esse actum entitativum rerum natura abegendum, quia adhuc alia extant entia in rerum natura producta, quę propriam habent actum entitativum: quia propter prius suppositum debet ex Metaph. actum entitativum in rerum natura reperiri, & postea querendum in Phylisicis, an talis actus etiam materię primę competat, quæ dici solet pura potentia.

Q U E S T I O I V.

De potentia, & actu substantiâli.

93. Materiam primam esse potentiam substantialem, & formam substantialem pariter esse actum substantialem apud omnes Philosophos competum est, & hoc adeo certum est, ut in

Physica hoc potius supponatur, & accipiatur, vel principium quoddam, quam probetur, ut conclusio. Verum quia Metaphysicis multa probat, quæ supponuntur à Phylisicis, hic indaganda est ratio à priori, vel saltem à posteriori, cur materia potius sit potentia passiva formę, & ejusque substantię, quam e contra, potest namque protervis dicere rem esse contra se habere, quod forma est potentia passiva materię, & materia aclus formę, & quavis primo aspectu facilis videatur resolutio propositę difficultatis, re tamen accuratius inspecta est difficultas punctum, ut ait Arriag. quam fortè aliqui cogita verint. Constat deinde materiam esse potentiam substantialem, & formam actum, ulterius est inquirendum hic, quod sensu forma dicatur actus materię, an scilicet quia forma fit res aliqua determinata in actu materiam perficiens, & complexus substantiæ, an potius quia sit pura actualio, ac veluti modificatio materię, adeoque à materia non distinguatur realiter, ut res à re, sed potius modaliter, ut modus à re cuius est modus, ut singulariter opinatus est moller Aureol. 3. d. 12. q. 2. art. 1.

Circa primam difficultatem variis fuit modi dicendi ad afferendam rationem, cur materia sit potentia passiva respectu formę, non e contra. Primum factis communis, & frequens in schola Thomistarum est materiam esse potentiam passivam, quia non habet propriam, ac determinatam existentiam, sed eam à forma superveniente recipit, quæ illam aduat, & existentem reddit. Hęc tamen ratio non valet, quia extra scholam D. Thomę afferunt omnem materiam, quam formam propriam existentiam partialem possidere, ut suse ostensum est disp. 2. Phyl. quæst. 2. art. 1. immo hæc ratio retorqueri potest præsertim in principis Thomistarum qui volunt materiam accidentalem non habere propriam existentiam, sed existere existentia subjecti, ita ergo pariter quæ afferere possidet materia respectu formę substantiæ, quod sicut cam recipit, & sustentat, ita quoque illi existentiam communicat, adeo ut forma substantialis existat per existentiam sibi à materia communicatam. Tum quia eius in actu, & complexum est potentia passiva, & subjectum formarum accidentalem præsertim secundum Thomaz, quem admodum materia substantialem, & nihilominus non recipit ab eis existentiam, sed potius præstat, ergo ratio cur hoc fit potentia passiva, & subjectum recipiens, & illud forma informans, & actus receptus, non est quia id præstat, & affert existentiam illi, non ergo materia dicitur potentia passiva formarum, quia recipit existentiam ab illis.

94. Secundus dicendi modus est Arriag. disp. 2. Phyl. sec. 3. sub sec. 2. ubi inquit, quod quando duo ita inter se ununtur, ut unum se habeat, quod antecedent, & prævis ad aliud, aliud verò ei superveniat, id quod antecedit dicitur recipere, & subici, quod verò supervenit dicitur recipi, & compleri, itaque materia prima dicitur subjectum omnium formarum, & non e converso, quia præsupponitur ipsa materia: prius natura ad omnes formas etiam ad rationalem. Hanc rationem jam impugnavi disp. 2. Phyl. quæst. 1. art. 3. in fine ex principis ipsius Aureolis, nam ipsemet disp. 5. Phyl. num. 37. negat ex bene deduci quantitatem esse aliorum accidentium subjectum, quia illa præcedit, nam etiam prius gradus intentionis præcedit secundum, & tamen non est subjectum illius, nec illam recipit, item primæ qualitates præcedunt secundas, quas tamen non recipiunt, vel ut eorum subjecta. Nunc autem absolute impugnat, & falsitas omnino convincitur, quia ut docet Scotus 1. dist. 3. quæst. 2. infra G. si forma alicujus præexistet, & materia de novo adveniat, & informaretur illa forma præexistente, æquè bene esset potentia passiva, & subjectum illius forme, sicut modo, cum materia præexistit, & forma de novo advenit, ergo illa præcedente materia ad formam simpliciter, & absolute inspecta non est præcisa ratio, cur materia dicatur potentia passiva respectu formę. Tum quia divina essentia ita præcedere intelligitur in divinis, & relationes originis, & perfectiones attributales, nam & in ipsa fundantur, & ab ea ut a fundamento pullulant, ac originantur, ut notat Doctor 1. d. 3. qu. 4. & tamen divina essentia non dicitur potentia passiva respectu illarum. Demum quod ait materiam etiam ad ipsam animam rationalem prius natura præsupponi, si per hanc naturam prioritatem intelligi prioritatem causalitatis, & dependentiæ, ut regulariter usus pari solet, est penitus falsum, quia anima rationalis non dependet à materia, unde ratione talis independentiæ possit Deus prius animam producere, & postea materiam, & tamen hic illi uniretur, adhuc esset potentia passiva respectu illius.

95. Tertius dicendi modus est Ovid. controvers. 2. Phyl. pund. 3. §. 2. dicitur materiam esse potentiam passivam, & subjectum formę, formam verò actum, quia materia est pars perfectibilis per formam, & forma est perfectiva materię. Contra quia hæc videtur manifesta petitio principii, ideò enim forma dicitur perfectio materię, quia est ejus actus, & materia dicitur perfectibilis à forma, quia est potentia passiva respectu ejus, ac ratio hujus queritur, cur materia sit potentia passiva formę, ita ut ab ea perfectibilis, & non e contra. Tum quia cum ambę illę partes sint incomplete, videntur invicem se mutuo perficere, & compleri, immò inquit Doctor 2. d. 14. qu. 1. in fine formam unitam materię ab ea aliquam perfectionem recipere, alioquin anima beata frustra uniretur corpori, eo quia ex corpore non acquireret perfectionem. Tum quia non omne quod habet

habet rationem subjecti, & potentia passiva respectu alicujus formę, dicitur ab ea perfici, immò aliqua sedantur, & corrumpuntur ab eis, ut aqua calore, intellectus errore, & in universum omnia subjecta per formas contrarias; & quavis materia propter suam universalem inclinationem non habeat formas contrarias, tamen ex hoc sufficienter colligitur non dici ex eo præcise in potentia passiva ad illas, & subjectum earum, quia ab illis perficitur, nam aqua est subjectum caloris, & potentia passiva respectu illius, & tamen non perficitur ab illo. Tum tandem quia Ovid. ipse patet ibidem formam non ordinari primario, & per se ad dandam materię perfectionem, ut ipsa materia perfecta sit, sedambo per se ordinari ad constituendam perfectionem compositi.

Hęc de causa Ovid. ibidem n. 25. videns hanc rationem non esse sufficientem, jam subiciit, vel ut novam, vel ut præcedentem declaratoriam, & inquit inter extrema, quorum neutrum ordinatur ad perfectionem intrinsecam alterius, qualis sunt materia, & forma, illud extremum, quod ratione alterius à se distinctum habet nobilitate prædicata, & perfectioris proprietates, quasi passivè communicat, dici perfectibile ab altero, & per hanc rationem constituitur in ratione materię; illud verò quod ratione sui habet in composito nobilitate prædicata, & ea quali activè communicat alteri extremo, dicitur illud perficere, & per hanc rationem constituitur in ratione formę, quæ est perfectio, & pulchritudo compositi, & consequenter alterius compartis. Hęc ratio licet magis quæsitio proposita satisfacere videatur, quam præcedens nonnullam tamen adhibet difficultatem, quia esse potentiam passivam tam convenit subjecto respectu formę accidentalis, quam materię respectu formę substantiæ, & tamen ratio potentia passivæ in subjecto accidentalis formę non attenditur ex hoc capite, nam compositum accidentale perfectiora attributa, nobilitate prædicata participat ex parte subjecti, quam ex ipsa accidentalibus, ut factis de se constat, ergo si in composito accidentali hoc non est sufficiens iudicium ad inveniendam partem materialem, & formalem, seu potentialem, & actualem, neque sufficiens erit in composito substantiâli, & quidem paritas neganda non videtur, quia Arist. ipse 1. Phyl. non semel hac utitur paritate, dum potentiam passivam materię, ac subjectivam in ordine ad formas substantiales declarat per potentiam hujus entis in actu in ordine ad formas accidentales, quia cur hoc fit actus, & illud potentia eadem utrobique militat ratio, neque discernit nisi in ratione talis actus, & talis potentie, nam forma substantialis est actus simpliciter, accidentalis autem est actus secundum quid.

96. Quartus dicendi modus est Hurtad. disp. 2. Phyl. sec. 2. ubi docet, materiam dici potentiam passivam, & subjectum formę, quia forma illam denotat communicando illi suum effectum formalem, sicut albedo denominat parietem album, & sapientia intellectum sapientem. Hęc quoque ratio, nil melius explicetur, non satisfacit, quia Deus à bonitate divina denominatur formaliter bonus, & à justitia justus, nec tamen ob talem denominationem habet rationem subjecti, vel passivæ potentie respectu illorum attributorum; Tum quia etiam ex doctrina ipsius Hurtad. in eodem loco non minus forma suas derivat denominationes in materiam, quam e contra, si enim dicimus perfectiorem esse albam, dicimus etiam e contra albedinem esse quantam, si materia ligni forma dicitur lignea, forma quoque à materia dicitur materialis, ergo hoc sufficiens iudicium tum non potest, quod hoc magis habeat rationem potentie, vel actus, quam illud. Neque dicit Hurtad. denominationes à forma in subjectum derivatas esse formales, at quæ derivantur à materia in formam esse materiales. Hęc enim est manifestæ petitio principii, hoc enim est quod querimus, cur cum in composito videamus unam partem aliam denominare compartem, & e contra, hæc dicatur materia, ejusque denominatio materialis, & alia forma, ejusque denominatio formalis; curque denominatio unius dicatur effectus formalis, non item alterius.

Quintus dicendi modus est quorundam Recentiorum apud Ovid. dicitur neque potentiam receptivam formarum, neque unionem esse de essentia materię, sed tantum constituit per principium passivum operationum compositi, & formam per principium activum earundem; quam sententiam ipse Ovid. impugnat, quia anima rationalis est principium passivum intellectuum, & volitionum, ergo non est proprium materię esse principium passivum operationum. Sed recentiores illi facile responderent, quod est anima rationalis sit principium passivum illarum operationum, quia sunt immateriales, extrinsecas quoque principium activum; sed materia est principium operationum compositi dumtaxat passivum, & esse sic principium passivum operationum dicitur esse proprium materię, itaque non formę. Melius ergo impugnat illa ratio, quia potentia passiva, de qua hic loquimur, & querimus cur potius materię, quam formę conveniat, non attenditur in ordine ad actum secundum, sed in ordine ad actum primum, ex quo simul cum ejus subjecto, tanquam ex parte actus, & per se potentia sit substantiale compositum. Tum quia materia, & forma duo exercent munera circa compositum substantiale, sunt enim partes ejus intrinsecę, constituentes illud in suo esse essentiali, & sunt principia etiam operationum ejus; prius tamen illud essentialiter constituit, quam ejus operationes principient, & adhuc in ejus constitutione una habet rationem partis potentialis, atque de materia, alia partis actualis, ideòq;

habet rationem formę, ergo ratio materię, & formę convenit partibus compositi substantialis antecedenter omnino ad ejus operationes; malè ergo dicunt Recentiores illi materiam constitui in tali ratione per principium passivum operationum compositi, & formam per principium activum earundem.

97. Rejectionis sententię, ratio cur materia sit subjectum formę, ejusque potentia passiva, & receptiva, non e contra, deduci potest facile ex Arist. 1. Phyl. 51. ubi via transmutatio ostendit dari materiam primam, esseque subjectum contrarium hoc modo, omnis transmutatio fit ex contrario in contrarium, sed unum contrarium non recipit aliud, nec aliud contrarium transmutat, quia mutuo se perdunt, & destrunt, ergo sola contraria in generatione non sufficiunt, sed opus est dare aliquid subjectum generetur compositum, quam rursus rationem adhibuit 12. Met. tex. 6. ubi ex tribus illis propositionibus materiam, ut commune subjectum contrarium sic introduxit, omnis substantia naturalis transmutabilis est, omnis transmutatio est de contrario in contrarium, nullum contrarium sustinet alterum, aut ex ipsa aliquid facit, igitur in transmutatione rerum subjectum adveniri oportet, quod contrariis subiciatur, hæc igitur est vera, & peripatetica ratio posteriori, cur materia sit potentia passiva respectu formę, ejusque subjectum, non e contra quia forma pugnat cum privatione, & accedit vel recedit à communi subjecto, quod est materia, & hæc permanet sub utroque termino mutationis: illud ergo principium, quod cum privatione pugnat, & expellitur in corruptione, aut acquiritur in generatione est forma, quod autem contraria sustinet, & manet sub utroque mutationis termino, est materia, & habet rationem fieri in fieri quidem respectu mutationis, & in facto esse respectu formę; hæc inquam est ratio posteriori, quam nos docuit Arist. dignoscendi, cur materia sit subjectum formarum, & potentia passiva earum, non autem e contra. Quod si hujus realitatem desideras ratione à priori, nec illa quoque deerit, sumendum est inferentia, ac indeterminatione, quam habet materia ad constituenda cum diversis formis diversę specię composita, eadem enim numero materia cum variis formis variis constituit species prædicamentales, at unaquęque forma unam dumtaxat speciem constituit, & ideò forma dicitur principium unum per se determinans materiam ad unam speciem, materia verò dicitur principium de se indeterminatum, & per formam determinabile, atque ideò forma habet rationem actus, & materia potentie. Confirmatur hæc ratio ex paritate compositi metaphysici, quod constat ex realitate generis, & differentie, & realitas generis ideò dicitur habere rationem potentie respectu differentie, differentia verò actus, quia realitas generis de se indifferens est ad constituendam hanc, vel illam speciem, ut realitas animalis indifferens est ad constituendam speciem hominis, vel leonis, aut bovis, & per hanc vel illam differentiam determinatur ad hanc, vel illam speciem, cum ergo materia prima dicatur genus physicum per analogiam ad genus metaphysicum, ob illam indifferenciam dicitur habere rationem potentie passivæ respectu formę, & forma rationem actus.

98. Sed Ovid. & Arriag. cit. hanc rationem impugnant dupliciter, primo quia potest esse materia determinata ad hanc speciem formam, ut multi probabiliter tenent de materia Cœli, quod sit determinata ad formam celestem, ita ut aliam recipere nequeat, ergo ratio materię, ut est potentia passiva, non constituit in hac indifferencia ad plura composita constituenda. Deinde quia potest à Deo creari aliqua forma, quæ sit indifferens, ut unita materię specię distinctis, & consequenter constituta composita specię distincta, sicuti de facto gratia habitus, quæ est forma accidentalis, indifferens est ad constituenda composita accidentalia specię distincta, quia indifferens est, ut unita animæ rationali, & Angelo; & est compositum specię distinctum, quod resultat ex anima rationali, & gratia ab illo, quod resultat ex Angelo, eademque gratia, composita enim ex diversitate essentiali conjungunt, partem essentialis, sicuti est subjectum, diversam sortiuntur essentiam, ergo ratio constitutiva materię in esse potentie passivæ non constituit in hac indifferencia, cum etiam formę convenire possit. Contrarium impugnationis istæ non valet, non quidem prima, quia falsum est quod possit dari materia determinata ad unam speciem formam, quæ simul sit potentialis ad illam nam de ratione materię est, quod sit genus physicum id est inchoatio plurium compositorum specię distinctorum in genere naturę, sicuti genus metaphysicum est inchoatio plurium specierum, ergo materia necesse est debet esse indifferens ad plura composita constituenda, & hoc etiam probari potest ex eadem paritate generis logici, vel metaphysici assumpta, reynuat namque generis posse sic unum cum differentia determinate servata, adhuc sua potentialitate, si enim non est magis de se indeterminatum, quam differentia ad hanc speciem, si non latius patet illa, cur magis dicitur genus per differentiam determinari, & coactari quam differentia per genus, quæ de causa diximus disp. 5. Log. qu. 2. art. 3. potentiam generis metaphysicę loquendo in una sola specię possibili confervari non posse, idem ergo pariter de materia dicendum erit, quæ est genus physicum, si namque determinata foret ad hanc unam speciem constituendam nequebit assignari ratio, cur magis materia dicatur determinari à forma, quam e contra: illam verò doctrinam de materia cœlesti refellit Doctor hac de causa 2. d. 14. qu. 1. & nos cum ipso disp. 2. Phyl. q. 4. art. 1. & in libris de Cœlo disp. 2.

disp. 2. qu. 1. ubi offendimus secundum Arist. corpora caelestia esse simplicia absque compositione materiae, & formae, & secundum veritatem materiam, ex qua consistunt, esse eisdem rationis eam materiam horum subalternam, & proinde indifferentiam habere ad constituendam aliam. & aliam speciem.

99. Ex quo etiam capite eliditur altera impugnatione, & offenditur contra impossibile esse, quod possit dari forma, quae sit indifferens ad plura species subiecta, & plures species essentiales continentibus, nam, sicut de ratione materiae est, quod sit inchoatio plurium specierum in genere naturae, ita de ratione formarum est, quod sit determinatio talis inchoationis; & sicuti repugnat metaphysice loquendo dari differentiam, quae de se indeterminata sit ad plures species constituendas, quia differentia ex sua ratione formalis est, quae differunt a se lingua idem genus participantia; ita pariter physice loquendo repugnat dari formam indeterminatam ad plura species composita constituenda, quia forma est ratio, cur in genere physico unum compositum specie differat ab alio. Tum quia si inveniatur unum compositum, quam dicis posse esse determinatam ad unam speciem, & formam, quam dicis esse posse indifferentem ad plures species, plane compositum nimis potentiorum constituerent, quia ratione materiae conveniret cum aliis speciebus, & ratione materiae differret ab illis, sed factum cum ratio facienda convenire pertineat ad rationem genericam, & potentialem, & ratio facienda differre ad rationem specificam, & actualem, in eo composito sic constituto hac de causa ego formam dicerem, quam tu dicis materiam, & contra materiam, quam tu dicis formam. Neque suffragatur exemplum adductum de gratia habituali, semper enim unus, & idem est specie effectus formalis gratiae habitualis, sive in Angelo ponatur, sive in anima rationali, nempe reddere gratum subiectum, quod allicet, sicut idem est specie effectus formalis albedinis, sive in aqua ponatur, sive in lapide. Contra insitit Avvid. diversum gratum constituitur ex gratia habituali, & anima rationali, ac ex eadem gratia, & Michaelae, ergo diversum effectum formalem tribuit forma secundum subiectorum diversitatem, probat assumptum, quia gratum essentialiter dicitur duo subiecto, & formam, utrumque essentialiter concreto, ergo quodcumque illorum sit specie distinctum, compositum illam diversitatem in se habebit, quia habet omnia praedicata, quae in illius partibus tam materiali, quam formali includuntur, ergo ex diversitate subiecti, quod gratum denominatione recedat inferat diversitas huius concreti, sive compositi, grati, & effectum recedat inferat diversitas effectus formalis provenientis a forma, qui nihil aliud est, quam totum compositum per illam constitutum. Hac quoque insistantia frivola est, nam assumptum est verum tantum materialiter, non formaliter, & probatio illius assumpti falsa est, supponit enim compositum accidentale esse ita per se unum, & ambas partes aequae essentialiter, & primo importate, sicut compositum substantiale, quod falsum est; quia enim concretum accidentale non habet aliquam per se unitatem, non ambas partes importat ex aequo, alioquin non esset unum per accidens, sed forma principaliter significat, & subiectum connotat, ut dicitur in d. 2. Log. q. 6. art. 2. atque ideo falsum est ex diversitate subiecti inferri posse diversitatem formalis effectus in forma, quibus enim non videt lignum, & lapidem album in ratione albi non differre?

Quia verò forma, & subiectum solent se invicem denominare, nam & quantum dicitur album, & album quantum, ut supra dicebamus cum Hurrad. ne in huiusmodi denominationibus confusio contingat, & quisque discernere sciat, denominationem dicendam sit denominationi formalis, & quae materialis, circa hoc observanda est regula, quam assignavimus disp. 3. Phyl. q. 3. art. 2. n. 37. quod cum duo inter se unita se invicem denominant, attendere oportet, quodnam eorum sit formalis, & actualis, & quodnam magis materiale, & potentiale; quod enim erit actualius, & spiritius, habebit rationem formae, & denominatio ab eo in aliud derivata formalis erit, quod autem erit magis materiale, & minus spirituale habebit rationem subiecti, & denominatio ab eo in aliud derivata erit materialis, ut insinuat Doctor 4. d. 11. qu. 1. §. dico ergo, & hinc etiam inferre licebit, quod hoc sit subiectum illius, & respectu eius habeat rationem potentiae passivae, non e contra, & unde dum dicimus albedinem esse quantum, non inferre debemus hanc denominationem esse formalem, & albedinem ita denominari, quia a modo quantum ita recipiat, & ab ea informetur, sed potius e contra ita denominari, quia ipsa albedo quantitas inheret, & in ea recipitur, & ratio est, quam assignavimus, quia quae sit a toto genere est actualior, & spiritius, & quodnam magis materiale, habet rationem formae, quantitas verò habet magis de materialitate, idcirco dicitur subiectum eius, & denominatio, quam ipsi praestat, materialis, & non formalis.

Circa aliam difficultatem propositam ab initio quaestiones, quod modo forma dicitur actus materiae, inquit Aureol. 2. d. 12. q. 1. art. 2. formam non dicere aliquam rem determinatam in actu, sed puram actualitatem materiae, ita ut materia non distinguatur sicut res a se, sed sicut modus; ait ergo in quolibet composito duas includi realitates, quarum nulla dicitur rationem actu determinatam, sed ambas sunt realitates impraeclisae unius rationis determinatae; realitas quae dicitur materia, est incompleta, indeterminata, & inchoativa cujusvis rei completa, hinc realitatis advenit actualitatio, & complementum, quae est forma sed tale complementum, & actualitatio non est realis in se praecise, ita quod in sua ratione sit ratio de-

terminata in actu, est tamen complementum rationis determinata in actu, unde sicut prima realitas erat natura incompleta, & truncata, quia inchoativa tantummodo rationis determinatae completae in actu, sic realitas haec est truncata, & incompleta, quia tantummodo est complementum rationis determinatae, & completae, in eo quod est actualitatio quadam realitatis illius, & dicitur inchoativa; undec natura materia, nec forma sunt aliqua realitates determinatae in actu, sed sunt tantum duae realitates impraeclisae ipsius compositi, quod est determinatum in actu, & altera se habet, ut inchoatio, altera vero, ut complementum; haec in summa est Aureoli opinio.

100. Oppositum docet Scotus 2. d. 12. qu. 1. ubi pluribus probat formam non esse purum terminum intrinsecum, vel extrinsecum materiae, ac simplicem eius modificationem, sed rem vel realitatem in actu determinatam a materia reali ter distinctam, quae est communis opinio in omni schola, & ab omnibus absque hesitatione recepta. Quod autem materia fiat a parte rei distincta a forma, satis constat ex dictis disp. 2. Phyl. q. 1. & 2. quia forma corrumpitur, & generatur, vel incipit, & desinit esse, materia vero esse ingenerabilis, & incorruptibilis, manetque sub utroque, mutationis terminum; tum quia quando ignis producit ignem producat etiam materiam, & cum corrumpitur, materia quoque corrumpitur; tum quia ut inquit Doctor, si materia, & forma non essent partes entitatis, & a parte rei ab invicem distinctae, non essent compositum, sed quaedam entitas simplex; tum quia id ostendit Arist. ex professo 1. Phyl. ubi probat, formam esse principium quoddam rerum naturalium materiae distinctum, & 2. Phyl. probat esse causam a materiali distinctam a parte rei. Quod autem inter materiam, & formam substantialem non sufficiat distinctio, quae est inter entitatem, & gradus entitatis, probat rursus Doctor loc. cit. quia tunc diversa generabilia, & corruptibilia, ut ignis, & aqua specie non differunt, sicut nec specie distinguuntur gradus entitatis, v. g. calor. Tum quia inquit Doctor saltem de animalibus intellectiva certum est, quod non potest esse purus gradus materiae, quia ipsa est terminus creationis, quod tandem non sufficit inter materiam, & formam distinctio, quae est inter rem, & modum rei, ut volebat Aureol. probatur, quia anima intellectiva est terminus creationis, ergo res vera est res, & non modus rei, cum hinc neque est terminus creationis, & tum quia forma potest per potentiam Dei absolutam conservari sine materia, sicut de factis in Eucharistia conservantur accidentia sine subiecto, ergo forma non est purus modus materiae, nec ab ea distinguatur realitate modo, sed etiam rei. Tum quia modus est semper imperfectior re modo, sicut per ipsum, sed forma est substantialiter perfectior materia, ergo non eius modus, tum quia modus non est finis rei, sed potius e contra, quia modus ordinaritur ad rem modificatam, ac forma est finis materiae, quia materia est propter formam, & eam appetit, ut turpe pulchrum. Tum quia forma est praecipuum principium operationum compositi adivum, quod nequit modum competere. Tum quia haec opinio parum differre videtur ab opinione antiquorum ab Arist. 1. Phyl. impugnat, qui ponebat totam rerum essentiam consistere in materia. Tum tandem quia in Phyl. demonstratur esse formam esse praecipuum, & principalioris quidditatis partem dispartit. 5. qu. 12. art. 1. ergo non est solus modus materiae, quia in composito ex re, & modo praecipua pars non est aodus, sed res, cuius est modus; & quia hoc apud omnes difficultate vacat, non ulterius immoror in eius probatione, sed argum. Aureoli distulvo.

In oppositum arguit Aureolus, Primum si forma esset entitas realiter distincta a materia, tunc non posset dare illi esse in genere causae formalis, quod est falsum, sequela ita probatur, nam hoc esse, vel entificatio, quam dat materia materiae, vel est idem cum forma, & habetur intentum, quod forma sit ipsa informatio, & actualitatio, ut figura est informatio, & aequatio quantitas, vel non est idem cum esse formae, sed quid distinctum, quod imprimitur in materia, & ibi delinquitur a forma, quod minime dici potest, vel eam hoc esse aliquid absolutum, vel respectivum. Non primum, quia tunc in composito essent tres realitates, scilicet materia, & forma, & illud absolutum a forma in materia derelictum, & si sic, tunc materia, & forma non perfectè desinent compositum. Tum quia posset remanere compositum destructa forma, posset enim Deus modum illum conservare sine forma, quod sufficeret ad constitutionem compositi. Tum quia tunc causalitas formae non esset intrinseca, & formalis, sed erit causalitas efficientiae, habebit enim se forma respectu materiae, sicut se habet signillum in signatione cerae. Tum quia poterit Deus facere effectum formalem sine forma, sicut figuram sine sigillo, ex quo effectus formalis ille est aliquid absolutum a forma. Neque etiam potest dici secundum respectivum, quia omnis relatio est accidentis, atque ideo accidentis esset de essentia compositi substantialis. Tum quia tunc respectivum est de essentia absoluti, quia ignis v. g. non dicit materiam, & formam secundum se, sed ut inter se unitas per informationem. Tum quia corpus non dicitur vivens formaliter per animam, sed per relationem, quam terminat, vel fundat, atque adeo vita essentialiter consisteret in relatione animae ad corpus, vel corpora ad animam.

Resp. negando consequentiam, ad cuius probationem gratis concedendum est, quod esse formatum, & complementum, quod praestat forma materiae in genere causae formalis, non est aliquid esse ab ipsa

ipsa forma in materiam derivatam, & ab ipsa forma informante entitatis diversum, ut docet Doctor 8. Metaph. quae 1. §. propter primam difficultatem, & noscum ipso disp. 5. Phyl. q. 3. art. 3. nu. 32. sed est ipsa materia unita, & communicata materiae mediantis unione, unde effectus formalis formae dicitur formam, non quodammodo, & absolute sumptam, sed simul cum unione ad materiam, quia ratio Auctoris est principiorum posuit in praedicamento habitus album esse, & quantum esse, quia nimirum concreta harum formarum includunt etiam unionem earum ad subiectum, quam di simul in Logica pertinet ad praedicamentum habitus. Neque hinc sequitur accidens esse de essentia substantiae, vel respectivum de essentia absoluti, non quidem quia unio non sit accidens, aut aliquid respectivum, ut inquit Recensiores, qui unionem ponunt esse modum quemdam substantialem absolutum, sed quia ut dictum est disp. 5. Phyl. q. 12. art. 2. num. 146. unio non est de essentia compositi, sed solum conditio simpliciter necessaria, quam nec Deus suppleri potest, tam ad eius constitutionem, quam conseruationem, unde etiam corpus dicitur animatum, & vivens non per unionem formaliter, sed per animam, & per unionem solum tanquam per conditionem simpliciter necessariam.

101. Secundo arguit ex compositi substantialis unitate, si enim forma diceret propriam rationem, ac determinatam naturam in genere entis, nec ignoscit esse una natura, neque hinc ignoscit ens una numero, quod est falsum; probat consequentiam primum quod unitatem naturae, nam Arist. 7. Metaph. reddens rationem, cur composita accidentium non dicant unam naturam, substantialem aequidem, ait esse quia quae includuntur in composito accidentali, habent propriam quidditatem determinatam, non sicut autem, quae includuntur in composito substantiali; tum quia si sequeretur, quod cum sit lapis, non haberet simpliciter, sed ex tali ente ferret tale ens. Deinde probat consequentiam quod unitatem entitatis individualis, nam Arist. docet 8. Metaph. querendum non esse causam, cur ex materia, & forma fiat res una numero, sed si forma diceret creatorem, & naturam distinctam a materia, esset querenda causa illius unitatis. Neque dicas ideo non esse querendam causam, quia unum est in actu, & aliud in potentia, nam per hoc dixit Arist. hoc duo distinguuntur, tanquam res determinatas, sed quia illud, quod est in potentia, sit in actu.

Resp. negando rursus consequentiam, quia ad unitatem naturae compositi substantialis sufficit, ut extrema, vel eius partes habeant rationem per se actus, & per se potentiae, quod explicatur est disp. 5. Phyl. q. 11. art. 1. ubi fusa de hac re, & cum extrema sit haec haec, efficiunt quoque unum individuum, & hoc est, quod ait Arist. 7. Met. composita accidentium non dicere unam naturam, quia non constant ex se per se potentia, & actu, sed ex actu, & potentia per accidens, & secundum quod, forma enim accidentalis advenit enti perfectò, & completo, & proinde perfectè illud accidentali ter, non autem completè substantialiter quemadmodum forma materiae, ut loc. cit. abundè explicavimus, & in hoc sensu ait Arist. ibi composita accidentalia non dicere unam naturam, quia includunt puram entia perfectam, & completa, ac determinatam speciei in praedicamento, ut hoc, quod est lignum album, lignum includit, quod est in praedicamento substantiae directè, & albedinem, quae est in praedicamento qualitatibus, materia autem, & forma non sunt entia perfectè, & determinata in hoc sensu, & ideo bene potest esse ipsarum per se compositi eo praerertim quia unum manet essentialiter ordinatum ad aliud, ut per se potentia ad per se actum, hinc enim ultra incomplementum essentialis est una ex conditionibus necessariis requisitis, ut ex duobus fiat unum per se ex dictis loc. cit. nu. 129. Cum autem inquit Arist. 8. Metaph. querendum non esse causam, cur ex materia, & forma fiat unum per se, hoc sane non dicit, quia forma non esset pars compositi realiter materia distincta, quia loquitur ibi de unitate compositionis, & non simpliciter, unitas autem compositionis supponit compositum ex partibus distinctis constitutum, si enim ibi nulla esset partium distinctio, esset unitas simpliciter, non compositionis, sed dicit Philosophus non esse querendam causam talis unitatis, praeter hanc, quod unum est per se actus, aliud per se potentia; & cum inquit, quod est in potentia fieri in actu, solum significare intendit materiam perfectam, ac determinatam per formam, ad certam speciem praedicamentalem, non autem realem identitatem materiae cum forma, quae materiae in generatione creatae in formam, vel loquitur de toto producto, quod prius erat in potentia, & post productionem dicitur esse in actu, quod etiam loquendi modus utitur 8. Phyl. 32. ubi ignem nondum genitum vocat in potentiam, genitum vero ait esse in actu.

102. Tertio arguit, quia si forma diceret entitatem determinatam demonstrabilem, & signabilem, dum produceret, crearetur, quia omnis forma de novo producta, cuius nulla pars omnino praecellit, dicitur omnino creari, sed huiusmodi esset illa forma habens realitatem praecellam ab omni alia realitate, ergo, &c. Resp. facilius formam non creari, quia sic realitate, ergo, non tanquam ex parte, saltem tanquam ex praecellente subiecto, in cuius passiva potentia contingeretur, & ex cuius potentia educitur virtute agentis naturalis, creatio autem est actus, quae aliquid producit ex nihilo, ut ly ex, excludit tam partem, quam subiectum, & nota quod argumentum concludit etiam, si forma ponatur modus materiae, ut vult Aureol. & non res

ab ea praecisa, vel praescindibilis: cum enim modus ille de novo produceretur in materia, quaeritur poterit, an eius aliquid praecellerit in materia, & si fiat ex materia, tanquam ex parte. Ceterum Aureol. loc. cit. hanc responsum impugnat cum multis aliis, quia fieri ex materia potest accipi dupliciter, vel in quo, & ita non destruit conceptum creationis, quia anima rationalis in corpore, & tamen creatur, vel ex quo, & sic ly ex non tollit conceptum creationis, nisi dicat rationem partis, ac materia non est pars formae, sed compositi, quare forma solum major, quia illud ex aliquo, tollit creationem; quod ponit in termino productionis prius non fuisse mere nihil, sed esse ex materia, in qua, vel ex qua tantam ex subiecto, non ponit terminum productionis non fuisse nihil ante productionem, quia per tale subiectum forma non est extra pilam, ergo &c.

Resp. ex dictis de educatione disp. 2. Phyl. qu. 7. art. 2. satis patere educationem a creatione distingui praerertim ex parte subiecti, nam tam in creatione, quam in educatione formae nihil eius praecedit, tanquam pars, atque ideo utrobique fit ex nihilo ly, tanquam ex termino, sed ad creationem formae nullo modo concurrunt materia, vel concurret, non concurret sustentando, sed tantum recipiendo, ut merè subiectum in quo, non ex quo, contra vero ad educationem formae, neque forma dicitur educi ex materia, tanquam ex parte componente formam, sed tanquam ex sustentante formam, & hoc est formam fieri ex subiecto, & haec etiam late traquimus disp. 5. de gener. & corrup. qu. 1. art. 2. ubi contra Ferechium nostrum offendimus nu. 15. non ideo formas materiales fieri ex nihilo, vel creati, quia non sunt ex aliqua sui parte praecedente, ut sunt composita, nam sunt per educationem ex praecente subiecto, tanquam ex sustentante, & non simpliciter recipiente, per quod exiit a creatio, cum enim dicitur creationem esse rei factiorem ex nihilo, omnes Theologi unanimiter ajunt ly ex, excludere habitudinem nedum partis, sed etiam subiecti praecentis, & sustentantis, unde argumentum Aureoli falso ininitur fundamento, quia supponit in factione, & productione rei, ne dicatur creari, debere fieri ex aliquo, tanquam ex parte, quod quidem minime opusest, ut loc. cit. fusa contra Ferechium demonstravimus; quare ad replicam Aureol. conceditur, cum materia concurrat solum, ut subiectum in quo, & simpliciter recipientem, ut contingit in anime productione, non tolli conceptum creationis, ac negatur non tolli, quando concurret, ut subiectum ex quo, & sustentans, ut regulariter evenit in naturali productione formarum materialium; & improbat oppositum, quia illud ex aliquo tollit creationem, quod ponit in termino productionis prius non fuisse mere nihil, quod non facit continentia formae in materia, ut in subiecto ex quo, respondeo nihil, quod est terminus a quo creationis, esse negationem extra subiectum, & extra genus, & ideo cum forma fit ex negatione in subiecto praerupto, talis praeruptio subiecti tollit formam fieri ex nihilo, ut est terminus a quo creationis, unde in hoc sensu neganda est minor argumenti ultimi inducti pro probatione majoris.

Postremo arguit, quia 3. Phyl. 67. forma dicitur terminus, ac terminus est modus rei, ergo &c. Resp. formam dicitur proprie terminum generationis, quia est terminus formalis eius; dicitur etiam terminus materiae, quatenus, materiae eam appetit, ut ea habita conquiescat; dicitur etiam terminus materiae in sensu argumenti, non quidem intrinsecus, quasi sit purus gradus perfectionis materiae, ut Adversarii intendunt, sed veluti extrinsecus, quatenus cum materia ex se habet nulla sit certa specie praedicamentali, sed possit vagari per omnes per formam informatam constituitur in certa specie, qualem requirit forma, atque adeo complet perfectionem eius, ut non ultra vagetur.

QUESTIO V.

De oppositione, & prioritate actus ad potentiam.

103. Breviter hoc quaesitum quoad primam partem resolvit Doctor 9. Metaph. quaest. 1. & 2. ubi in corpore quaesiti ait potentiam sumi posse dupliciter, vel ut dicit modum quemdam entis, vel ut specialiter importat rationem agendi, & patiendi, quae divisio satis in superioribus explicata est; inquit igitur quod si potentia sumatur pro principio agendi; inquit igitur quod actum non opponit potentiae, quia actus in hoc sensu, non enim minus realiter est aliud principium, quando actu principiat, quam quando non principiat, sed principiare potest (inquit Doctor) neque eo quod quis currat, vel scribat, potentiam amittit credendi, aut scribendi, sed potius eam exercet, & res adeo, explorata est, ut ulteriori explanatione non egeat; nam actus in hoc sensu idem est, quod operatio potentiae activae, satis autem constat operationem non opponi cum potentia activa, quia egreditur, sed compossibile esse cum ea ut exercitum eius. De potentia vero passiva, seu ut est principium patiendi, quod sensu etiam coincidit cum subiectiva, non est res adeo conspicua, aliqui enim Scotistae dicunt actum formalem huius potentiae correspondentem, adeo illi opponi, ut simulcum ea esse non possit, & quod desinit potentia subiectiva actu formalis adveniente, ut superficies, quae est in potentia subiectiva ad albedinem; ubi albedinem

*dinen recipit, iam formatam adum obtinuit, & ob eam rem non amplius ad albedinem subiectivam potentiam habet, sed tantum ad alios colores recipiendos, ita Raguleus disp. 3. peripat. de existentia materiae c. declarando potentiam obiectivam, & subiectivam; cuiusmodi videtur hic sayere Doctores 9. Metaph. quae 2. adu, & potest quosque evidenti probari ratione, quia cum subiectum aliquid obtinuit formam, ad quam erit in potentia, non amplius est in potentia ad illam, alioquin esset simul in actu, & in potentia respectu eiusdem formae, quod est impossibile.

104. Ceterum certum non minus esse debet de potentia passiva, & subiectiva, quod simul fiat cum suo actu, quam de activa, & tantum abest quod adus formalis opponatur cum potentia subiectiva, eamque destruat, quod potius eam perficit, & actualit, quod satis patet ex physicis de potentia subiectiva materiae, qua recipit formas, diximus enim ibi disp. 2. quae 5. artic. 5. hanc potentiam cum materia realiter esse identificatam, velut eius passionem, atque ideo non perire potentiam subiectivam materiam in adventu formalis adus, quod pariter dicendum est de quocumque subiecto respectu formae accidentalium. Pro recta tamen puncti huius intelligentia, & solutione proposita difficultatis notandum est, quod sicut privatio importat negationem formae, & connotat in subiecto potentiam, & capacitatem ad eam recipiendam, ita potentia est diversio dicti appetituum, & capacitatem subiecti ad formam recipiendam, & connotat negationem talis formae, vel privationem eius, unde in vulgari modo loquendi praeterit subiectum dicitur in potentia ad formam, quando illa caret, eamque recipere potest; cum ergo dicitur in praesentia non opponi cum potentia subiectiva, sed potius cum ea compossibile esse, ut conaturali eius perfectioni, (si potentia subiectiva sit naturalis) non est sermo de potentia pro connotato, quo pacto dicitur carentiam, & negationem adus, sed loquimur de potentia pro principali significato, nempe pro illa capacitate, in qua fundatur negatio, & carentia adus, sic enim bene sunt simul potentia, & adus, quia potentia naturalis perficitur per adum; quam doctrinam eleganter docuit Aletius 9. Metaph. tex. 7. quae 11. ubi quaerens, an potentia subiectiva sit simul cum adu, respondet quod talis potentia potest dupliciter accipi, uno modo secundum quod simpliciter dicitur ab eodem per se, subiectum, alio modo prout dicitur rationem perfectibilis cum carentia perfectionis, primo modo simul sunt potentia, & adus, non autem secundo modo; & hoc voluit (inquit) dicere Commentator 11. Phys. quod potentia destruitur in adventu formae, loquitur enim de potentia secundum quod includit privationem formae, & sic etiam explicandus est Scot. loc. citat. nec aliud concludit ratio adducta in oppositum, cum enim semel subiectum formam obtinuit, verum est non esse amplius in potentia ad illam, prout potentia dicitur carentiam, & negationem adus, quo pacto ultrapari solet in communi modo loquendi; & sic etiam idem nequit esse simul in actu, & potentia, quia tunc nihil haberet, & non haberet formam; tamen prout dicitur positivum, in quo fundatur illa carentia, sic sunt simul adus, & potentia, quia talis potentia perficitur per adum, quod est vel maxime dicendum est, quia si argumentum illud quod roborat haberet eodem modo concluderet de potentia activa, quod suo actu opponeretur, ut ei incompossibile, sicut de potentia passiva, quia dum agens agit non dicitur amplius in potentia ad actionem, cum intellectu intelligi non amplius est in potentia ad intelligendum, alioquin esset simul in actu, & potentia.

105. De potentia obiectiva eodem modo dicitur Bonetus notat lib. 6. suae Metaph. cap. 3. cum enim dico potentiam (inquit) obiectivam, dico duo, & tertium connoto, dico namque obiectum, & dico potentiam, & connoto privationem adus elendi verb. gr. cum dico rosam esse in potentia obiectiva, per obiectum intelligo quidditatem rosae, per potentiam fundatam in illa quidditate intelligo quandam respectum potentiam, qui habet pro termino existentiam actualem rosae connotat tamen privationem existentiae rosae; atque ita concludit, quod potentia ratione privationis annexae, & connotatae opponitur adu existentiae, & adveniente adu elendi tollit privatio annexae respectu potentiae, & sic potentia obiectiva dicitur corrupti ratione privationis annexae adveniente adu, adhuc tamen manet potentia sumpta pro fundamento scilicet pro quidditate, in qua fundatur illa carentia, manet enim quidditas rosae, & coniungitur cum existentia de novo adveniente. Verum toto, ut aiunt, aberrat a bono, dum de potentia obiectiva respectu adus entitativi, seu existentiae dicitur, sicut de potentia subiectiva respectu adus formalis, & eius error inde procedit, quod putat res ab aeterno habere quoddam esse essentiae reale, & actualem cum Henrico, cui postea in tempore adveniat esse existentiae, quod fundamentum esse saltem infra disp. 8. quae 1. ex. potest offendemus; & hinc est, quod potentiam obiectivam quidditatis rosae ad existendum concipit ad modum cuiusdam potentiae subiectivae existentiae ad recipiendam existentiam, quae si in illa imaginatio, ut supra dictum est n. 70. quia existentia non sic habet, ut aliquis adus partialis respectu existentiae, in qua recipientis, nec existentiae respectu existentiae se habet per modum potentiae passivae, & receptivae, sed existentia est adus totalis existentiae, quia totus tota res, quae a se debetur possibilis, cum erat

in potentia causatum, post productionem tota dicitur in actu. Et hinc est, quod Doctores 9. Metaph. q. 2. semper appellat potentiam obiectivam potentiam Metaphysicam, ne concipiamus eam per modum potentiae passivae physicae, & sic e contra in omni illa obiectiva appellatur adus Metaphysicus, ne concipiamus illam per modum adus physici, & partialis, quoad modum est forma respectu materiae; & accidens respectu subiecti, quod omnia ex insinuito declarat infra disp. 8. q. 2. Verum est tamen quod dicebat Bonetus potentiam obiectivam involvere in suo conceptu negationem existentiae, haec enim est una ex praecipuis conditionibus, quae supra dicebamus, requirit ad ens in potentia obiectiva, quod nimirum non existeret.

Ideo; dicendum cum Scot. loc. cit. 9. Metaph. q. 2. ad questionem ergo, potentiam obiectivam cum adu entitativo sibi correspondente omnino incompossibile esse, atque ideo hunc adum hancque potentiam proprie opponi, quia circa idem habent fieri, & simul esse non possunt, quae sunt duae conditiones ad oppositionem requiritae; habent quidem primam conditionem, quod scilicet circa idem habent fieri, quia ut docet Arist. 9. Metaph. tex. com. 13. & explicat Doctores 2. d. 16. q. an. 9. rationes istae, eadem omnino res est in genere, specie, & individuo, quod ante erat in potentia obiectiva, & postea fit in actu. Perus enim in actu productus extra causas non est res diversa a seipso, cum erat in potentia, unde & eadem praedicata quidditativa de ipso enunciantur sub utroque statu, ut diffusius probatur infra disp. 8. n. 8. Quod etiam habeat secundam conditionem, quod nimirum simul esse non possunt probat Doctores ex Arist. 9. Metaph. q. 2. cum inquit alium esse, quando res est non ita fit in potentia, ubi in eius rei declarationem multa adducit exempla de oppositis simul consistere non valentibus, ut vigilans, & dormiens, videns, & claudens oculum, elaboratum, & illaboratum, quae exempla manifestam ostendunt incompossibilitatem adus entitativi, & potentiae obiectivae, ut supra expendimus n. 74. & rursus probari potest ex modo dictis, quia potentia obiectiva in suo conceptu involvit negationem existentiae, nam illud dicitur in potentia obiectiva, quod non est, sed esse potest, ergo adus, & potentia in hoc sensu directe invicem pugnant, adeo ut simul consistere nequeant; sed per adventum adus omnino tollit potentiam, quia tunc diversi status eisdem rei, sub quibus simul, & semel reperiri non potest.

106. De potentia tandem logica inquit Doctores loc. cit. 9. Metaph. q. 2. respondendo ad argumenta primae quaestiones, quod potest hanc cum adu ad quem ordinatur, nam ab actu ad potentiam logicam tenet consequentiam, inquit Doctores, valet enim dicere, rosa est ergo possibilis est, nam si esset impossibilis, utique non extaret in rerum natura, quia potentia activa nunquam extenditur ad impossibile, & ait hoc confirmari posse per distinctionem possibilis traditam ab Arist. 9. Metaph. tex. com. 7. cum inquit, possibile est, cuius adus si extiterit, nihil est, impossibile, quae est definitio, ait Doctores, possibilis logici manifestum est autem, quod illud, quod adu est, participat hanc rationem, ergo potentia logica fiat cum actu ad quem ordinatur, & ideo Doctores 1. d. 6. q. 2. ponit Deum esse possibilem logicum, licet ab eo potentiam obiectivam removeat; ratio priori est, quia potentia logica in hoc praecipue differt a potentia obiectiva, quod ubi potentia obiectiva involvit in suo conceptu negationem existentiae rei, potentia logica quantum est de se praesentit tam ab existentia rei, quam ab eius negatione, & neutrum in suo conceptu includit, & ideo cum utraque disjunctum compossibile est, unde res semper dicitur possibilis logicae five in rerum natura adu existat, five non. Restat itaque ex dictis solam potentiam obiectivam esse cum adu sibi correspondente incompossibilem, & de ipsa proprie verificari quod opponatur cum actu, & tollatur per adventum adus.

Sed Contra hanc doctrinam Scotiam de oppositione adus entitativi cum potentia obiectiva arguit Thomae ex eisdem Scoti principiis, nam secundum Scotum adus entitativus, & potentia obiectiva sunt idem realiter, nam mundus, qui antequam crearetur erat potentia obiectiva realiter, est ille adus entis, qui postea ab agente creatur in esse, ergo saltem est quod fiat opposita, & incompossibilia, & quod potentia destruat in adventu adus, unde Scotus in hac positione de potentia obiectiva, & adu entitativo sibi manifeste videtur contradicere, dum ex una parte ponit ea realiter identificata, quia eadem res est, quae est in actu, & in potentia, & ex alia parte ponit ea invicem opposita, & incompossibilia, & quod unum destruat ad adventum alterius.

107. Resp. ex dictis n. 70. Thomias in hoc puncto non satis percipit mentem Scoti, nunquam enim dixit Doctores actum entitativum, & potentiam obiectivam realiter identificari, immo semper constanter esserit esse opposita, & invicem incompossibilia bene tamen dicit eandem prout res esse rem, quae modo est in actu, & antea erat in potentia ex Arist. 9. Metaph. hoc tamen non solum non officit contra oppositionem, sed potius est conditio ad eam necessariam requirita, ut modo dicebamus, quia opposita habent firmiter circa idem; & quidem aliud est dicere actum entitativum, & potentiam obiectivam esse idem realiter, aliud autem quod eadem sit res, quae modo est in potentia, & postea in actu, sicut aliud est dicere rectum, & curvum in linea idem esse, aliud vero eandem esse lineam, quae modo curva est, modo recta; primum dictum est omnino falsum, nec a Scoto asseritur, significat enim modum essendi in potentia; & modum essendi in actu esse eundem, quod est evidentiter falsum; alterum dictum est omnino

omnino verum, & a Scoto asseritur, significatque eandem esse rem, quae antea est in potentia, & postmodum est in actu, verbi gr. hic mundus iam in tempore a Deo productus est ille idem species, & numero, qui per totam aeternitatem in potentia obiectiva, & prolixius inconfutelo concluduntur potentia obiectiva; & ens in potentia obiectiva, vel adus entitativus, & res in actu entitativo, quia potentia obiectiva, vel adus significantes diversos status, vel modos rei, ens autem in actu, vel in potentia significat rem ipsam sub altero istorum modorum constitutam, cum sub utroque simul consistere nequeat, quare ad argumentum negatur assumptum cum probatione, nam mundus antequam crearetur, erat quidem in potentia obiectiva, sed nabadat namque relationem possibilis ad divinam omnipotentiam, non tamen erat ipsa potentia obiectiva, quia haec est denominatio extrinseca a divina omnipotentia desumpta, aut relatio ad eandem, ille vero nempe mundus est fundamentum talis relationis.

Deinde contra idem assertum Doctores 9. Metaph. q. 1. nonnulla adducit argumenta, idem suppositum non potest subesse quandoque uni oppositorum dividendi generis, quandoque alteri sicut patet 4. Topic. de fine, & opinione; sed potentia, & adus dicuntur de eodem, sic quod homo in potentia, & homo in actu idem sunt, quia non est aliud in potentia, quam quod est in actu per Comment. 9. Metaph. ubi ait, quod extractio de potentia non largitur multitudinem, sed perfectionem. Item unum oppositorum non perficit alterum, nec facit unum per se cum ipso, adus autem perficit potentiam; & facit unum cum ipso ex 7. & 8. Metaph. ergo, &c. Deum illa non dividunt aliquod commune, ut opposita, quorum alterum convertitur cum diviso, sed adus convertitur cum ente, quia ens in potentia est tantum secundum quid ens, ergo simpliciter non ens.

Respondet Doctores loco citato argumentum bene probare, quod divisio entis per adum, & potentiam, non est divisio generis per differentias essentiales, quod gratis conceditur, sed est magis subiecti per passiones oppositas, quae dicuntur modum illius subiecti qualis est divisio lineae per rectum, & curvum; unde supra dicebamus adum, & potentiam significare diversos modos essendi seu status diversos eiusdem rei, sub uno enim statu consideratur, quando est in statu mere potentialitatis, & sub alio quando consideratur sub actu actuali existentiae. Ad illud inquit Doctores concludere de potentia passiva, & subiectiva, haec enim est, quae pericitur per adum; & ideo non proprie opponitur cum ipso, adeo ut sit cum eo incompossibilis, ut supra dictum est. Ad ultimum ait Doctores, quod licet ens in potentia non sit ens ita simpliciter, sicut ens in actu, ac sic ratio possibilis diminuat ens, non tamen omnino destruit rationem entis, bene autem tale determinans potest habere rationem dividendi, ita enim est in divisione, ens per unum, & multa, quae unum secundum suam formam, & rationem in quantum opponitur uni, dimittit ens licet omnino non destruat, subdit tamen quod si teneatur alia via (quam nimirum supra in illa eadem q. inveniaverat) de potentia obiectiva, quod omnino destruat ens, & quod non sit relatio nisi rationis; tunc illud argumentum esse concedendum, & dicendum, quod divisio entis per adum, & potentiam est distractiva, veluti illa quae dividit animal per vivum, & mortuum, sed de hac divisione entis simul cum aliis divisionibus agemus ex prologo disp. 6. Alia quaedam argumenta ad idem adducit Doctores, quae probant de potentia logica, quod consistit cum actu, minime autem de potentia obiectiva, ut notavit Doctores cit. in solutione eorum, quibus proinde usi sumus supra n. 106. ad prodandum potentiam logicam non opponi cum actu, ad quem ordinatur, sed solum potentiam obiectivam.

108. Quoad alteram quaestione partem de prioritae adus ad potentiam valde comparari solet adus ad potentiam, quod prioritatem nimirum perfectionis, cognitionis, seu definitionis, & durationis, de quibus comparationibus egit Arist. 9. Metaph. c. 8. & nos breviter hic dicemus, eam non sit res magis momenti. Itaque in primis loquendo de potentia activa certum est, quod est prior perfectione suo adu, five per adum eius intelligatur propria eius adu, five terminus, & effectus ipsius adionis, ratio est, quia vel causa est equivoca, vel univoca respectu sui effectus, si aequivoce, est nobilior, & perfectior ipso, si univoca est latere quae perfecta, adhuc tamen ob dependentiam, quam habet ab ipsa tamen adu, quam effectus; potentia ceteri debet perfectior utroque quia ergo adus a potentia activa procedit, & ab ea participare dicitur quicquid perfectionis habet, ideo adus in perfectione semper superatur a potentia activa. Dices potentiam activam per se per suum adum, atque ideo hunc esse perfectiorem illa. Negatur assumptum, nam proprie loquendo potentia passiva est, quae pericitur per adum, quem recipit, activa vero per suum adum dicitur potius exerceri, quam per se, immo ipsa est, quae perfectionem elargitur, & adu suo, & effectui per ipsum productum. Dices, intellectum nedum exerceri, sed etiam per se intellectione, quae est eius adu, & operatio. Respondet in primis intellectionem non esse actionem physicam, & realem, quae habeat terminum productum, sed grammaticalem, & in quid sit de hoc, dum intellectus recipiendone in tellectionem perfectivae, & receptivae, nam tunc intellectione per se adu, sed potius passivae, & receptivae, nam tunc intellectione per se adu, non quia intellectio est adus formalis eius, & ita comparatur ad illum, non ut ad potentiam agentem, sed ut ad recipientem, & patientem.

Deinde potentia activa est prior duratione, vel saltem natura suo adu, nam potentia activa est causa efficiens sui adus, & sic operationis, ergo simpliciter prior illo saltem natura, tum quia valet consequentia, adus est ergo potentia activa est, non tamen e contra potentia activa est, ergo adus est, nam potest existere potentia activa sine actu, vel quia libera est, ac proinde in eipso potestate est actionem suspendere prout vel, si est naturalis, non tamen semper habet applicata omnia requirita ad agendum, dixi autem saltem natura potentiam activam suum adum praecedere, quia licet multoties praecedat suum adum duratione, ut regulariter contingit, interdum tamen non ita praecedat adum sed tantum natura, ut constat de potentia generandi in Deo, calefandi in igne, illuminandi in Sole, &c. unde si factio non fiat cum resistentia contrarii, neque includat intrinsece successione, sed subito fieri possit, poterit esse simul tempore cum sua potentia, nunquam tamen simul natura ob dependentiam adus a potentia. Dices habitum esse potentiam activam, & productivam actum, & tamen non est prior omnibus illis, nam necessario praecedunt adus ex quibus generatur. Resp. habitum esse potentiam activam acquirat non autem innatum, hic autem praecipue sermo est de potentia activa naturali; ut distinguatur ab acquisita. Deinde & ipse habitus licet supponat adus, a quibus generatur, non tamen ens, quos ipse elicit, & adus illi, ex quibus generatur, non tamen naturalem supponant, a quibus eliciuntur, adeo ut universaliorem verum sit adum supponere potentiam activam, a qua procedit tempore, vel saltem natura. Quamvis autem potentia activa sit prior adu suo tempore vel natura, tamen non est prior cognitione saltem quoad nos; nos enim ut plurimum devenimus in cognitionem potentiarum activarum per suos adus ergo saltem respectu cognitionis nostrae potentia activa non est prior cognitione suo adu.

109. Loquendo autem de potentia passiva, & adu formalis ei correspondente, potentia quidem duratione, vel saltem natura praecedat actum, quia actus potentiae passivae necessario praesupponit ipsam potentiam, namquam subiectum in quo recipiatur, subiectum vero recipiens saltem natura praesupponitur formae receptae praesertim autem quando forma recipitur in illo, modum ut in subiecto simpliciter recipiente, sed etiam sustentante. Actus tamen est prior ipsa potentia perfectione, & ratio est, quia potentia passiva, ut sic, a toto genere imperfectionem dicit, & respectu adus habet rationem perfectibilis, adus vero ipse rationem perfectivae, ergo saltem sub hac reduplicatae adus perfectior est potentia passiva, quia potentia caret eis paribus melius se habet sub actu, quam sine actu, dixi autem actum esse perfectiorem potentia passiva sub reduplicatae, actus, & potentiae passivae, quia non semper opus est actum potentiae passivae esse perfectius ens, quam sit ipsa potentia receptiva, constat enim plerumque esse ens minus perfectum, ut patet de accidentibus, quae actuant & informant substantias, ita notavit Doctores 2. d. 34. 10. sub littera l. ubi ait, quod perfectio accidentalium non semper excedit formam perfectibilem simpliciter, sed tantum secundum quid, naturam, ut dicebam, potentia melius se habet sub actu sub naturaliter debito, & contentano, quam sine ipso, alioquin abfolvendo loquendo omne accidens est simpliciter minus ens, quam substantia ex 7. Metaph. dixi etiam notanter potentiam melius se habere sub actu sub naturaliter debito, & contentano, quia hic sermo est de potentia passiva naturali, vel naturaliter actum inclinata, nam in hoc sensu actus semper illi affert aliquam perfectionem vel simpliciter, vel secundum quid, si enim actus sit illi neuter, vel contrarius, & violentus, nedum nullam illi praestet perfectionem, nec simpliciter, nec secundum quid, sed potius illi nocet, & affert destructionem, ut calor aquae, neque de hoc actu verificatur potentiam melius se habere sub actu quam sine illo.

Quo autem ad cognitionem, & definitionem potentiae passiva dicitur esse actu suo posterior ita namque significavit Aristot. Metaph. physic. cap. 7. quod aliquid in tanto rigore intelligitur, ut id verificari velint non solum quoad nos, sed etiam secundum se, & natura sua, eo quod potentia dicitur specificari per adus. Et hoc quidem admitti potest, illoquantur de potentia formaliter sumpta, & pro respectu, non tamen si sermo sit de potentia fundamentaliter id est sumpta pro absoluto, in quo fundatur relatio potentialitatis, unde cum potentia dicitur specificari per adus, hoc sane intelligendum non est, ut pro intrinseca earum differentiam, sed ut per terminum intrinseco habitudinis potentiae ad actum, quia ergo potentia praesertim passiva in hoc sensu cognoscitur per ordinem ad actum, & definitur per ipsum, ideo adus dicitur esse prior cognitione, & definitione, quam potentia, id enim, per quod aliquid definitur, est prius definitione, quam ipsum definitum. Verum hic occurrit difficultas, quam movet Ant. And. 9. Metaph. q. 3. quia actus, & potentia sunt correlativa, & sicut potentia nequit cognosci, nisi per actum, ita neque adus nisi per potentiam, ergo non magis potentia est prior definitione, quam adus, sed ad summum erant simul cognitione, & definitione, correlativa siquidem cognoscuntur, & definiuntur per se invicem iuxta illud Porphyrii, oportet in correlativis in utrumque rationibus utriusque uti.

110. Respondet Ant. And. ibidem cum Scoto 9. Metaph. q. 2. ad secundam quaestione, quod relative aliqua opponi potest dupliciter in telligi, vel mutuo ita, quod utrumque habeat habitudinem per se ad

alterum, vel non mutuo adus, & potentia non opponitur relative primo modo, quia cum talia sint simul natura, & de hinc sequeretur, tunc quoad actum non esset prior ratione quoad potentiam, nec ratio potentia sumeretur ab actu magis, quam & converso, quod est contra Arist. 9. Met. c. 7. sed opponitur secundum modo, nam supponendo significatum nominis, patet, quod potentia est sumpta dicit ordinem ad actum, & ille ordo essentialiter est refusus ad actum; habens ergo respectum essentialiter ad aliud, inquantum huiusmodi, illi alii non opponitur, nisi relative, sed hoc non est conversio, quia ratio actus est absoluta, exemplum autem quomodo potest esse relatio ad aliquod absolute, patet secundum Philosophum 5. Met. c. ad aliquid de scientia, quae essentialiter refertur ad scibile, non est conversio, ergo scibile est absolutum, inquantum ad ipsum est relatio scientiae, non enim idem est referri, & relationem terminare, immo ubi concurrunt in eodem videntur per accidens coniuncta, sicut in relatis mutuis, potentia ergo, & actus sunt relativa spectantia ad tertium modum relativorum, quae non sunt mutua, quia igitur potentia essentialiter ad actum dependet, & non est conversio, idem habet definitio per actum, & non est conversio inquit Arist. Ant. ex doctrina Scoti alicuius, & Peripateticum inquit loqui de relatis mutuis, cuiusmodi non sunt actus, & potentia.

Sed hanc responsum impugnat Zanard. 9. Met. q. 16. ad prim. quod fit contra Arist. 5. Met. ubi inquit; actum, & potentiam esse relativa fundata super adionem, & passionem, & pertinere ad secundum modum relativorum, quae sunt mutua. At fallum est hoc ibi Arist. dicere solum enim inquit, quod relativa illius secundi modum fundatur super potentiam activam, & passivam, earumque actiones, & passionem, non autem ait, quod ipse actus, & potentia sunt relativa illius secundi modi. Fortius impugnat post hoc solutio, quia vera actus formaliter sumatur, non minus respectum essentialiter dicere videtur ad potentiam, quam est contra, tum quia etiam admittit actum, & potentiam ad tertium modum relativorum pertinere, iam diximus disp. 8. Log. q. 10. art. 2. in explicacione tertii modi relativorum, relativa illius tertii modi quoque esse mutua, si extrema uniformiter assigentur, & tunc tantum esse non mutua, cum assignantur disformiter, ut ibi explicavimus. Sed quando etiam teneretur, actum, & potentiam esse relativa mutua, & hanc ratione esse aliquo pacto similibi cognitione, & definitione, adhuc tamen censeri debet actum prior potentia simpliciter, & absolute loquendo, quia ille est qui determinat, & dat speciem potentiae, non est conversio, unde tenendo etiam hanc viam salvatur, quod dixit Arist. 9. Metaph. c. 7. actum esse priorem potentia cognitione, & definitione.

Postremo loquendo de actu, & potentia obiectiva, satis de se patet potentiam obiectivam esse priorem actu entitativo prioritate durationis, vel naturae, quidem in productione rei potentia obiectiva se habet, ut terminus ad quo, actus vero entitativus, ut terminus ab quem, terminus autem a quo praecedit terminus ad quem, sed loquendo de prioritate perfectionis, & cognitionis, res est contra se habet, quod actus est prior potentia, quoad perfectionem quidem, quia actus entitativus dat actualiter esse rei, potentia autem obiectiva dat tantum posse esse perfectum, autem est actualiter esse in rerum natura, quam solum esse posse, ergo actus entitativus est perfectio prior ipsa potentia obiectiva, est etiam entitativus prior quoad cognitionem, quia quo plus aliquid habet de entitate plus etiam habet de cognoscibilitate, actus autem entitativus, cum fit ipsa actualis rei existentia, plus entitatis habet, quam potentia obiectiva, cuius beneficio res non dicitur esse, sed tantum posse esse, & posse produci ab aliqua causa, ergo actus entitativus est etiam prior perfectione potentia obiectiva, & hanc sufficientem de actu, & potentia.

QUESTIO VI.

De Necessario, & Contingenti.

111 Post tractacionem de actu, & potentia, agimus de Necessario, & Contingenti, quae est altera passio complexa, seu distincta entis, quam inquit Doct. 1. d. 39. quantum ad primum, circum scribere nobis inquit passionem cum ipso ente convertibilem, unde necessarium, & contingens duplex est, aliud complexum, aliud incomplexum, complexum pertinet ad propositiones necessarias, & contingentes, de quo sufficienter dictum est in Logica, unde solum hoc est sermo de necessario, & contingenti incomplexo, quod rursus dupliciter sumi potest, vel ut sunt differentiae, aut modi intrinseci principii operandi, & producendi, quo pacto coincidunt cum naturalitate, & libertate, & dividunt principium activum in naturale, & liberum, & in hoc sensu de necessitate, & contingencia agimus disp. 7. de Anima q. 12. & 3. explicando libertatem voluntatis nostrae, & quomodo causa libera differat in modo agendi a naturali, alio eandem modo sumitur necessarium, & contingens, ut sunt differentiae, seu modi intrinseci ipsius entis, seu rei in essendo, quo pacto sub distinctione sumpta aiebat Scotus loco cit. circum scribere nobis passionem cum ente convertibilem, & in hoc sensu tantum hic agendum est de necessario, & contingenti, unde quia de necessitate, & contingencia in aliis sensibus, ut scilicet pertinent ad propositiones, & ad actiones, seu principia agendi, alibi sufficienter tractatum est, & hic tractare restat locum de ipsis, ut sunt modi intrinseci rei in essendo.

do, breviter duobus articulis remabolvemus, in quorum una natura, ac essentia rerum necessarium explicabitur, in altero vero essentia rerum contingentium.

ARTICULUS I.

De necessariis habentibus causam sui esse.

112 Jam dixi necessitatem esse duplicem, complexam scilicet, & incomplexam, illa est necessitas alicuius propositionis primi, vel secundae modi dicendi per se, ut quod homo est animal rationale, est scilicet, necessitas autem incomplexa est necessitas alicuius simplicis entitatis, seu naturae, nunc addo hanc necessitatem incomplexam esse duplicem scilicet simpliciter, & secundum quid, ens necessarium simpliciter dicitur illud, quod est immutabile, indefectibile, & cui repugnat omnino non esse, & hoc modo solus Deus inter omnia entia dicitur necessarium, ens necessarium secundum quid dicitur actum, quod est indefectibile tum intrinsece, quia mirum caret potentia physica ad non esse, qualis dicitur esse materia in compositis physicis, quae proinde 9. Met. dicitur potentia contradictionis, & radix primaria corruptionis, tum extrinsece per potentiam nempe finitatem extrinsecam, quia nimirum nullum agens creatum illud deesse potest, de se habet tamen esse, & de se habet potentiam superiorem, & inferiori, quamvis enim non habet potentiam physicam ad non esse, quia caret materia, tamen ob suam limitatorem, & finitatem habet potentiam logicam ad non esse, seu non repugnantiam ad non esse, ita ut causa conservatrix eius potest cessare ab eius conservacione, licet ex naturali eius constitutione cum solo concursu generali Dei possit, in aeternum durare, quod non convenit compositis ex materia, & forma, & hoc quidem modo entia necessaria dicuntur praesertim a Philosophis materia prima, substantiae spirituales creatae, & corpora caelestia, quae dicunt esse exempta a compositione materiae, & forma, ut in lib. de Caelo dicitur est.

Quaestio itaque, proposita procedit praesertim de entibus necessariis secundum quid, nam de ente necessario simpliciter conveniunt omnes tam Philosophi, quam Theologi nec habere, nec posse habere aliquam causam sui esse, quod probat evidenter Doct. 1. d. 2. q. 1. ubi quia ens necessarium simpliciter est omnino independentes ab alio, & primum efficiens ceterorum. Tum quia si ente necessario simpliciter daretur aliud, prius quo causalaretur, idem dicitur posse de illo prior, & sic daretur praedictum in infinitum, quod repugnat in causis praeteritum essentialiter ordinatis ex. 1. Phil. 8. Physic. & 12. Met. Ex hoc autem, quod ens necessarium simpliciter nullam habeat causam efficientem, sequitur quoque ulterius nullam habere finalem, nam causa finalis non causalat, nisi metaphoricè movendo efficiens, unde ex negacione causae efficientis respectu alicuius optime deditur negatio causae finalis. Et denique ex negacione causae efficientis, & finalis bene deditur negatio causae materialis, & formalis, quia causa intrinseca semper supponit extrinsecas, quibus disponatur, ac adaequantur ad compositi constitutionem, relinquuntur itaque ens necessarium simpliciter nullam prolium habere causam sui, & solum remanet difficultas de entibus necessariis secundum quid, ut sunt intelligentia, materia prima, & corpora caelestia, cum eorum necessitate essentialiter, quod habuerit esse ab alio, & a Deo pendeant in genere causae efficientis, & quamvis difficultas sit parvi momenti apud Theologos, & secundum veritatem, quia hanc esse necessitatem secundum quid, cum quo ista, quod illa entia sunt simpliciter contingencia, quatenus ab intrinsecis non repugnant non esse, & a Deo annihilari, valde tamen urget in principis Arist. qui illa entia posuit simpliciter necessaria, & ex se formaliter necesse esse, & praesertim intelligentias, ut patet ex 12. Met. unde in sententia Philosophi repugnat videtur, quod cum tanta necessitate sit, quod ab alio habuerit esse, & a Deo pendeant in genere causae efficientis, eo vel maxime, quod hanc entia ab Arist. ponuntur aeterna, sicut ipse Deus.

Hinc orta est gravis inter Peripateticos controversia de mente Arist. in hac res afferunt enim aliqui huiusmodi entia a Deo prima causa pendere dumtaxat in genere causa finalis, non autem efficientis, quae opinio tribuitur Alexandro Aphrodisiaco, & sub nomine Aphrodisii defenditur a Burli. Phys. in text. 79. Crem. lib. de natura Caeli Giannini de substantia Caeli, Schain. 12. Met. c. 10. Ragul. disp. 7. Peripat. licet per errorem fuerit citatus pro opposita parte disp. 1. de Caelo q. 3. in prima impressione) Arim. & Bacon. 2. d. 1. q. 1. & alii nonnulli ibid. cit. contra vero D. Thomas cum suis 1. 2. q. 4. art. 1. & lib. 2. contra gentes c. 15. Scot. item cum suis 1. 2. q. 5. & 2. d. 1. 3. & 4. & 5. & 6. & 7. docet non obstante eorum determinate, ac necessitate in Arist. sententia ad hanc Deo pendere etiam in genere efficientis causae, quam sententiam praeter Auctores allegatos loc. cit. sequuntur etiam Simplicius comment. ult. in 8. Phys. Avicenn. 9. Met. c. 4. Sueslan. 8. Phys. in res. 79. & 8. Met. disp. 4. Zimera pluribus locis, & praecipue in questione de triplici causalitate intelligentiae, Vicomere. 12. Met. com. 36. Tolet. 8. Phys. q. 6. Contar. theor. q. peripat. 16. c. 1. noster Perichius velig. 2. per totam, Faber theop. 6. Forma lib. 6. omnes trad. Formalit. p. art. 1. ubi Trébet. Vallon. Arctin. & alii quamplures, ex Arist. expolitibus Latinis, citatur etiam pro hac sententia Averroes lib. 2. de substantia orbi c. 2. licet opportum quoque tenuisse videatur 8. Phys. com. 23. & 12. Metaph. com. 41. quod ex infirmitate ostendit Aurocol.

Aurocol. 1. d. 42. part. 1. q. 1. art. 1. ubi vult fuisse etiam genuinam Arist. sententiam, quamvis autem moralem aggrediamur, quae hinc de mente Arist. indaganda, quia data opera in difficultatibus controversiis obiter locutus est, ut expositioribus eius materiae rixarum praebere.

113 Dicendum est, nedum secundum veritatem, sed etiam secundum Arist. intelligentias, materiam primam, corporaque caelestia habere causam sui esse efficientem, & hanc esse Deum. Ita Doct. loco cit. & 5. Met. q. 3. cum omnibus Auctoribus secundum sententiam quam conclusionem hinc docuimus loquendo speciatim de materia, corporibusque caelestibus disp. 1. de Caelo qu. 3. nunc autem ponitur universaliter etiam intelligentias comprehendendo, & quidem secundum veritatem res de se clara est, & omni difficultate vacat, quom vis enim illa entia eo, quia caret compositione ex materia, & forma, aut fit illam habent secundum veritatem, ut corpora caelestia, sunt tamen taliter constituta, ac bene compacta, ut non subiacent actioni agentium naturalium habentem, quodam necessitate inducere videantur in comparacione ad alia entia generabilia, & corruptibilia, tamen absolute loquendo sunt entia possibilis, & contingencia simpliciter, & quantum est de se, indifferencia ad esse, & non esse, possunt; a Deo destrui, & annihilari ita bene, sicut quaecumque, alia entia creata arg. id eo eorum necessitas in essendo, non est necessitas simpliciter, quia illis repugnet non esse respectu cuiuscumque agentis, sed necessitas secundum quid comparacione nimirum ad agens naturale, quod nequit ea generare, vel destruire, ergo res vera omnia habuerunt suam esse Deo in genere efficientis causae. Tum quia etiam omnia entia intelligentias comprehendendo (nam sic sermo est de aliis intelligentiis a prima) sunt finita, & limitata, sed omne ens limitatum, & finitum supponit superius efficiens, & quo accipit esse finitumque illud ex se, & a se habere, utique, non illud haberet cum limitatione, sed cum omni plenitudine, & exuberantia, atque ita non esset ens finitum, & limitatum, sed omnino illimitatum, ut arguit Doct. quol. 7. h. solutio. Tum quia esse a se est maxima perfectio, immo per hanc ceterae perfectiones attributivas solent de Deo ostendi, & praesertim infinitas, ideonamque est infinitus, quia habet esse a se, & ex se cum omni plenitudine, ergo talis perfectio nequit competere entibus illis non obstante gradu necessitatis eorum, alioquin forent entia finita, & limitata. Tum quia illa omnia entia causaliam habent finalitatem, ut omnes concedunt, ergo efficientem, consequentia probatur, quia causa finalis non causalat, nisi quia Metaphoricè movet efficiens ad dandum esse, & finis est cuius gratia cetera fiunt, & quicquid habet finem, debet ab aliquo ordinari in finem, is autem qui ordinavit, alius esse nequit a causa efficiente, ita arguit Doct. 1. d. 3. q. 5. h. solutio. & materia prima, quia materia prima est omnium entium imperfectissima, & pura potentia, ac prope nihil, ut ait Aug. ergo valde inepete tribueretur illi esse a se, quod est maxima perfectio omnium entium prima in Deo, Caelum vero licet sit longe perfectius materia prima, non ob id tamen concludi debet non habere causam sui efficientem, quia res praestantiores ipso habent causam sui esse a se, ut homo, ergo tanto magis Caelum, & tum quia Caelum nequit a se moveri, ideoque indiget motore, a quo moveatur, ergo tanto magis a se esse nequit, ac ideo causa efficiens indiget, a qua dependet, consequentia patet, quia difficultis vel potius impossibilis est aliquid esse a se, quam a se moveri.

114 Quod autem hoc etiam sit de mente Arist. probati solet innumeris auctoritatibus, quas sufficienter ad facietatem usque adducit Perichius velig. 2. cit. ubi praesertim fatigat nova ad hoc afferre loca actus non producta, ergo autem contra hic prolius rei probacione pauca intendo referre Arist. loca, ac magis frequenter adducta, tum quia clara sunt, tum ut occasione habeam adducendi, & refellendi glossas, & solutiones ad veterarium, & quamvis huiusmodi loca fuerint iam ad iuda in eisdem res comprobationem disp. 1. de Caelo q. 2. quia tamen veluti obiter, & perfectiore hoc actum est ibi sine responsibus, & explicacionibus Ad veterarium, & sicut de hac res sermo ad Metaphysicam reservabatur, ideo eisdem auctoritates, & alias nunc adducam accuratius expendendas.

Prima auctoritas clara valde, & obvia in rem nostram habetur 12. Met. 38. ubi Arist. de loquens ait, a tali ergo principio tum Caelum, tum natura dependet. At latius occurrunt Arim. & Baconius responso entis intelligentias, alioque aeterna usque ad Deo dependere, non tamen tantum ex causa efficiente, sed veluti ex fine. Hac tamen solutio facilius recitatur ex ipso Arist. didiculi ibidem qui loquitur de dependentia tam in genere causae finalis explicatur per ad & non per a, vel a, sed ibi dicitur ab hoc principio pendet Caelum, & natura. Deinde ut nuper arguebatur ex Scoto 1. d. 3. q. 5. habens causam finalem, necessario quoque habet efficientem, quia finis est cuius gratia cetera fiunt, & quicquid habet finem, debet ab aliquo ordinari in finem, quod autem ordinat in finem, est agens, & causa efficiens ordinat ad finem, itaque ut necessarium in doctrina peripatetica docet Averroes c. 2. de substantia orbi, & lib. destruc. destruc. disp. 2. in sol. dub. 24. circa finem, & 12. Met. 8. ubi ait, quod in alia ista idem est finis, & efficiens. Dices alind esse, Deum esse causam efficientem essentiae illarum rerum, aliud esse, quod sit causa ordinatis

earum rerum in finem, hoc secundum verum esse, idque, concludit argumentum, non autem primum. Contra quia ordinatio, & dependentia earum rerum in finem est illis conditio substantialis, ac realiter identitica, cum implicet ab intrinseco esse, sine tali dependentia, nequit ergo talis ordinatio procedere ab aliquo in genere efficientis causae, quin & ab eo procedat essentia rerum sic ordinatarum. Dices rursus non illas ipsas res esse sic ordinatas in Deum, ut in finem sed earum operationes. Contra, quia tunc omnes Intelligentie essent aequae primae, nec enim ulla adesse ratio cur haec diceretur prima, illa secunda, quia nulla ordinatur ad aliam; ut in finem, Dices illam Intelligentiam dici secundam respectu alterius, quia ipsius operatio ordinatur in illam. Contra, quia ita res se habent ad esse, sicut ad operari, quae ergo operatur dependenter ab alio, sive in genere causae efficientis, sive finalis, nedum quoad proprias operationes, sed etiam quoad propriam essentiam erunt in talem finem ordinatae, tum quia ex hoc quod operatio Dei non est in superiori finem ordinata alium ab ipso arguimus ipsum habere causam efficientiam ab alio independentem in quocumque genere causae, ergo quia operationes aliarum intelligentiarum sunt in ipsum ordinatae, ut in ultimum finem, debemus hinc deducere esse ad ipsum sic ordinatas etiam eorum essentias.

115 Deinde, ut optime Faber notavit theor. cit. 56. dependentia in genere causae finalis, quam tribuit Bacon. ceteris intelligentiis in ordine ad primam; & dependentia in genere causae efficientis, quam eidem concedit Arim. talis est, ut ad faciat vere, & proprie dependentes in esse, & quoad substantiam, ergo non nisi verbis a nobis discrepant, probatur adsumptum, dum enim Bacon. 2. d. 3. q. 1. art. 4. inquit intelligentias, Caelum, & materiam primam dependere a Deo non in ratione causae efficientis, sed finalis exponendo postea qualis sit haec dependentia in genere causae finalis ait, quod causa finalis dat esse, & nobiliori modo, quam efficiens, & inquit quod etiam entia illa aeterna in sententia Philosophi habuerunt esse post non esse, & intantum negat dici posse dependere in genere causae efficientis, quia opinatur causalitatem huius generis non nisi per motum, & mutationem exerceri posse, quod quidem modo hanc entia ab aeterno existentia esse non potuerunt accipere, quod quidem licet sit falsum, nam ostendimus postea causalitatem efficientem posse etiam sine motu, & mutatione exerceri per simplicem emanationem indicat tamen, & auctorem hunc in re nobilium convenire, & solum differre in modo loquendi: Arim. inquit parit. 2. d. 1. q. 1. art. 1. respondendo ad quatuor distinguit de efficiente vero, quoad agit per motum, & de efficiente per similitudinem, quoad agit per simplicem emanationem, & concepit primam intelligentiam respectu aliarum esse efficiens per similitudinem, & ad explicandam hanc efficientiam affert exemplum de forma, quae est causa suorum accidentium, ac proprietas compositus, ut forma ignis respectu levitatis, patet autem rem formam ignis levitatem in se causare efficientem per simplicem emanationem, ergo res vera concedit entia aeterna ab Arist. postea dependere a Deo in genere causae efficientis, ut nos dicimus, neque a nobis discrepare, nisi in verbis.

Alii proinde ad eundem locum responderet, Caelum dici pendere a Deo non quoad substantiam, sed quoad motum, & per motum pendere naturam. Contra quia eodem modo ait Arist. Caelum, & naturam pendere, eisdem enim verbis explicat utriusque dependentiam, sed natura pendet a Deo nedum quoad motum ipsum, sed etiam quantum ad existentiam, ergo & pariter Caelum. Tum quia falsum est, Caelum immediate in suo motu pendere a prima intelligentia, ut dicitur est disp. 2. de Caelo q. 4. art. 4. Tum quia hoc etiam concessio ad hoc solutio allata non sufficit, quia quod causat passionem, causat quoque subiectum, quod sine tali passione existere non potest, sed motus est passio Celorum, sine quo non existerent secundum Philosophum, ergo si Deus est causa motus Celorum, erit etiam causa existentiae ipsorum. Hinc Averroes ait c. 2. de substantia orbi, quod non existente intelligentia non existeret orbis, sicut nec motus, quare eodem modo ait pendere orbem a motum ab intelligentia, quia dans formam dat accidentia consequentia formam.

Respondent alii, intelligentias, Caelum, & materiam primam a Deo dependere, ut a causa conservata, non autem efficiente, ita Piccolom. lib. 2. de creatione c. 7. & 11. Hanc responsum non improbat Faber cit. quia sententia illa indiget conservante, sicut enim esse de se flexibilia, ac possibilis non esse, per conservantem vero causam remanent in esse, ergo de se sunt causata, & non summe necessaria, quia tunc nullius auxilio in essendo indigerent, Tum quia quaeritur, quae de causa fuerit conservante, cetera quae per se esse non possunt, alioquin frustra dicerentur illas pendere a primo tantquam a conservante, ergo Intelligentiae ex eo quod pendet a prima causa in conservari sunt ca. utatae. Haec impugnationem valet ad tuendam Arist. sententiam, quia ut diximus Arist. ponit intelligentias esse entia ex se formaliter necessaria, ita ut ipsas ab intrinseco repugnet non esse, cum hoc adhuc suffinet pendere a Deo in genere efficientis causae, & in hoc sensu defenditur a Scoto Arist. sententia, non ergo debemus dicere in Arist. sententia Intelligentias indigere conservante, quia sint entia flexibilia, & possibilis non esse, sed potius quia non implicat, aliquid esse ex se necessarium formaliter, non tamen a se, sed ab alio ut Theologi dicunt de Filio in divinis, ut postea explicabimus. Porius ergo responso Piccolom. impugnanda est, quia conservatio, & productio eadem est actio respectu primae causae, ut dicitur est